

Franckesche Stiftungen zu Halle

Commentatio Theologica De Præjudicio, Quod Adcrescit Vertitatibus Primariis De Providentia Dei Contra Malum, Per Imprudentem Et Vitiosum Earum Nexum ...

Weismann, Christian Eberhard

Tubingæ, A. MDCCXXII.

VD18 15179354

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:hbz:ha33-1-203048



130 B:5

1. D. J. Langens *Christlich-philosoph. Rezension des scheinlichen Anti-Wol-
fianischen Systems*. Halle 1725.
2. C. E. Weissmanni *Comentat. Theol. de praedictis circa ueritates
primarias de prouidentia Dei contra malum*. Tubinga 1722.
3. J. Langii *Diss. de Christo et Christianismo in aeternum*. Halle 1714.
4. G. J. *Diss. de Episcopi in iudicium Gamalielis*. Halle 1715.
5. G. J. *Diss. de Episcopi. Dodecad. poster. Octaua de fide et justificatione ge-
neratim*. Halle 1721.
6. J. F. Buddei *Diss. de Veritate christiana religionis, philosopharum
gentil. obsecrationib. confirmata*. Jena 1711.
7. G. J. *Diss. de pontificibus Roman. qui reformationem Ecclesiae fra-
stra tentarunt*. Jena 1718.
8. G. J. *Diss. de Galilaea rebus gestis et miraculis Christi clara*. Lex. 1718.
9. G. J. *Exposition des Lettres de Musculus sur l'Evangile de Matthieu
en Latin. avec son Latin. illustré*. 1723.
10. J. Thomaßii *Diss. de insignibus quatuor Evangelistarum*. Id. nov. Wit-
teberg. 1721.
11. J. B. Rüdigeri *Diss. de Christo p. primam et ultimam. S. S. et vocem in-
dicato*. Gießen 1724.
12. a) *Notitia laborum in Acad. Giesf. 1724.*
Erfurten. 1723.
12. b) — — — — — Erfurten. 1723.
13. J. Schmidii *Diss. de Puccio redivivo*. Lips. 1712.
14. J. C. Sturmii *Diss. de prouidentia divina ex proportionata cor-
porum quantitate demonstranda*. Altdorf 1702.
15. C. F. Romanus: *an dentur spectra magi et saga*. Lips. 1717.
16. J. Dornhaueri *Diss. de Ecclesia Muhammedana*. Argent. 1688.
17. C. B. Michaelis *Diss. de Muhammedismi laxitate morali*. Halle 1708.
18. J. H. Michaelis *Diss. de Targumim*. Halle.
19. J. F. Buddei *Lectiones libri de Wolfianis Philosophis*. Lips. 1724.
20. G. H. Bruckneri *Invitatio ad solennem lectionem*. J. C. Boerßii. Jen. 1717.
21. J. G. dieb. knecht *uber die Stelle Ludovicianae consideratio*. Giesf. 1723.
22. C. Cellarii *Diss. de initio cultus Germaniae*. Hal. 1703.
23. G. J. *Expositio de Gentis Samaritanae historia et ceremoniis*. Hal. 1707.
recus.

24. C. Cellarii de utilitate propädevmatum. Hal. 1695.
25. G. Diff. de studiis Romanorum litterariis in urbe et pro-
vinciis. Hala 1698.
26. G. Diff. de vigiliis et lucubrationibus veterum. Hal. 1706. recuf.
27. G. — de fatis latina lingua. Hal. 1708. recusa.
28. H. J. Dormmeyer Diff. de preparatione ad sapientiam. Hal. 1707.
29. — — — de vestitu colorata in luctu regis.
Hala 1704.
30. — — — de prima Germanorum notitia. Hal. 1705.
31. — — — de fundamentis et ornamentis studii poli-
lici. Hal. 1705.
32. G. Vockerodti Progr. de antiquis religiosorum in Germania in-
stitutionum, vestigiis. Gotha 1728.
33. G. historia itineris princip. deliberata. 1720. Gotha. d. 9. Dec.
34. G. Sermo panegyricus, a Kesseliis habitus. Gotha 1720. d. 8. Aug.
in natal. princ.
35. G. Progr. in natalem principis. Gotha 1720.
36. G. Sermones publici in natalem principis. ib. 1722.
37. G. ratio de feriis cerealibus Gymn. Goth. principi reddita. 1722.
38. G. Progr. in natalem principis. ib. 1723.
39. G. Progr. de studiis orientalis. litteratura post J. Ludolfum,
et consiliis agitatis cum Ernesto V. Gotha 1723.
40. G. Progr. pacatæ patriæ decora exorata. ib. 1724.
41. G. Progr. de finium vero et idoneo doctore M. Joertschio. ib. 1724.
42. — — — de I. t. Reyhero. ib. 1724.
43. — — — de B. Gualthero, S. Glaspio et J. C. Gottero. ib. 1725.
44. — — — Plus quam ex utroque. ib. 1725.
45. — — — Mumia integra, ib. 1725.

2. COMMENTATIO THEOLOGICA
DE
PRÆJUDICIO,
QUOD ADCRESCIT VERITATIBUS PRIMARIIS
DE
PROVIDENTIA
DEI CONTRA
MALUM,

PER IMPRUDENTEM ET VITIOSUM EARUM
NEXUM CUM DOCTRINIS ACCESSORIIS, INCERTIS,
SÆPE ETIAM FALSIS,

AUCTORE
CHRISTIANO EBERHARDO
WEISMANNO,

Profess. Theol. Publ. Extraord. & Pastore Ecclesiæ
Tubingensis.

TUBINGÆ,
apud JO. GEORGIUM COTTAM.
A. MDCCXXII.

PROVIDENTIA
DEI CONTRA
MALITIAM
TERMINUM ET MORTUORUM
CHRISTIANO HERNARDO
WILHELMO
FRANCKESCHE STIFTUNG
Halle



SUMMARIUM TOTIUS DISSERTATIONIS.



Variis modis mediisque praevenire conatus est Deus murmuraciones hominum contra sanctissimas vias suas, atque providentiam. 2. Quibus se semper pii ac reverentia verbi divini tacti homines tuto ac humiliter submiserunt, nisi forte accesserint paroxysmi tentationum varii generis, quos tamen vel superant, vel si iis succumbunt, id sine malignitate & relapsu fieri non potest. 3. Hujus via neglectus in causa est, cur in media Ecclesia existant tam frequentes murmuratores, quorum os loquitur prætumida, & qui divulgant infamias super vias Domini &c. 4. Et necessitatem imponit talibus resistendi partim per argumenta generalia, partim per apologias pro divina Providentia speciales. Nec ipsa tamen defensio veritatis maxime suo caret periculo, hinc cautissime suscipienda est. 5. Summa scrupulorum, imo insultationum adversus providentiam Dei circa peccatum ejusque consecratoria. Summa rationum, propter quas Deum juste sancteque permisisse peccatum ipsi etiam defensores providentiae divinae statuunt. 6. Ratiō prima petita ex conditione mundi optimi, qui malum includat. Durissima formula, quibus haec sententia exprimitur. 7. An Deus in omnibus suis operibus agat ex ratione unius Optimi? Varia & copiosa contra sententiam affirmantem adducuntur rationes, atque ad oppositas rationes respondetur. 8. Disquiritur: an idea mundi optimi sit conjuncta cum vitio sive peccato, tanquam conditione, sine qua

A

non

non esset optimus, sive mundus in diversis suis separatisque statibus, sive in toto eorum complexu consideretur? 9. Ratio permissionis peccati secunda simplicitas atque uniformitas viarum Dei, & voluntatum illius generalium. Quid hoc rei sit? explicatur, & quam parum fundata sit hac sententia, multis argumentis evincitur. 10. Tertia permissionis causa, quod nonnisi per miracula perpetua peccatum posset impediri, qua tamen multiplicari divina non patitur sapientia, examinatur. 11. An imminuantur scandala extantis Deo permittente peccati, si dicatur, exilem in toto universo particulam homines habere respectu immense multitudinis aliarum Creaturarum feliciam in aliis partibus universi? 12. Quinto ad minuendam permissionis divina invidiam excipitur, in huius quoque mundi rebus & personis plura fingi mala, quam revera sint. 13. An, quae sexta ratio est, illustranda sua maiestatis, potentia, iustitia, ac misericordia causa Deus peccatum permiserit? Qua occasione hypotheses Systematis Praedestinati cum Systemate quodam moderno comparantur. 14. An septimo odium peccati in Deo cum illius permissione eo facilius conciliari queat, si dicatur, Deum proprie loquendo non offendi, nihil eorum, quae existunt, detestari? &c. 15. An octavo quidquam levet difficultatis in hac causa, si consideretur, peccatum tantum privationem esse atque limitationem ab ipsa creatura oriundam, cuius adeo Deus causa esse nequeat? 16. Num nonò Deus ideo malum permiserit, ut contraria juxta se posita magis elucescerent? 17. Decimo. An ideo Deus pluribus mediis peccatum non impediat, cum id facile posset, quia ad hac adhibenda minimè tenetur? 18. Rejicitur undecima exceptio, quod ne idea quidem peccati ante actua-lem huius existentiam in Deo fuerit, ac tandem novissima rationis loco asseritur, plerosque modos impeditionis peccati, quos murmuratores pretendunt usurpari a Deo debuisse, esse precario confictos, viis Dei, quas ex Verbo illius discimus, difformes, ex parte etiam absurdos, Deoque indignos. 19. Speciminis exegetici vice Historia lapsus Protoplastorum ejusque memorabilia illustrantur, & veritates primaria ab accessoriis commentationibus per brevissimas animadversiones secernuntur. 20. Ex sinu Theologiae moralis doctrina de libertate creaturarum intelligentium seligitur, & maxime, quid circa eam in Systemate quodam recentiore desiderari possit? ostenditur. 21. Secundum ductum Theologiae casualis observatur discrimen inter homines in paroxysmos contra Deum & providentiam incidentes: queritur de optima methodo tractandi homines profanos: distinguitur usus & abusus doctrinae de homine intergo & externo &c. 22. Tandem tota Dissertatio observationibus quibusdam generalibus ac miscellaneis clauditur.

§. I.

QUò magis crescunt nostro tempore tumultuationes & insaniæ carnis contra Deum: eò jucundius atque utilius est diligenter & religiose considerare, quicquid ad sanctificandum Dei nomen, & confirmationem docilium in veritate salutari idoneum est. Ad minimum inter Christianos pridem constare debebat poteratque, nihil sua ex parte reliquum fecisse Deum T. O. M. ut majestatem, sanctitatem & innocentiam viarum suarum, sive rationum agendi cum hominibus, & clare satis patefaceret, & solide demonstraret, & efficaciter muniret contra obtrectationes murmuraque omnia, quæ contra admirabilem ipsius providentiam surrexerunt unquam, vel etiam surgent in posterum. In genere, teste Scriptura universa (cujus hac de re cumulare testimonia prorsus esset supervacaneum) duplici potissimum modo id præstitit, partim dùm amplissimas actionum suarum rationes passim reddidit, exhibuitque documenta optimæ voluntatis ac benevolentia perfectissimæ certissima, partim dùm jure suo supremo utens, majestate interposita, pudefecit & compescuit temeraria de consiliis suis æquissimis sapientissimisque judicia. * De cetero, si nos ipsi proprio ingenio & naturæ nostræ corruptæ relictæ non capimus salubriter & solide, quæ Dei sunt, suum ille nobis promisit Spiritum, qui tanquam Spiritus sapientiæ doceret nos necessaria, ut Spiritus *σωφροσύνης* in humili modestia nos contineret. *Arcanum enim Jehovah timentibus eum, & fœdus ipsius, ut notum faciat illis. Omnes viae Jehovah misericordia & veritas custodientibus fœdus & testimonia ipsius.* ** Cùm exempla ingentia pœnarum avertendæ temeritati necessaria sunt, certe plus simplici vice Deus punivit non modo præfractos & impudentes suos contemtores, sed & probos ceteroquin homines, qui autem dignitatem majestatis & legum suarum non satis reverenter habuerunt,

A 2

ut

* Ex illo majestatis & condescensus divini temperamento, quod per totam Scripturam diffunditur, summa elucescit prudentia & benignitas. Quodsi enim omnia per Majestatem solam Deus egisset, tùm credidissent malevoli homines, eum Tyrannis esse similem, quibus stare solet pro omni ratione voluntas, & qui iniqua etiam & abscondita decreta justa haberi volunt pro imperio. Neque dubium est, ex altera quoque parte tanta eosdem indulgentia fuisse abusuros ad omnem irreverentiam, si consilii sui secreta explicasset promiscue, hominesque peccatores quasi in jus se vocare docuisset, quotiescunque eis libuerit. Ut taceam, nec aliunde fieri potuisse, ut ad hujusmodi familiaritatem admitterentur homines, quales nunc sunt, etiamsi id beneficii divini ipsis *Φιλανθρωπία* nequaquam invidet.

** *Psal. XXV. 10-14*

ut facile ex fatis populi Israëliti, Dathanis, Abiram & complicum, ipsius etiam Moſis, Miriam, Aaronis & filiorum ejus, Eli, Uſæ, Betſemitarum, aliisque ſimilibus, quæ magno numero ſacris in literis prodita extant, intelligimus. * Porro ſi cautos facere poteſt homines ſcientia certorum ſpeciminum, eorumque frequentium, unde tutò & cum plena fiducia arguere poſſint, nec reliqua, quæ neſciunt, eſſe imparia, proſecto ſecuros eſſe decet homines, poſt ea, quæ divinum Numen verbis factisque de laudabilitate & magnitudine operum ſuorum per omnes ætates eos edocuit, ut poſthac ex vero dicere ipsis liceat cum Davide, ſi cor haberent animumque Davidis: *Memini judiciorum tuorum a ſeculo, Jehova, & conſolationem accepi.* ** Et illud ad juſtificationem Dei & viarum illius pertinet, quod nullos unquam oſores habuerunt, niſi ignorantes, quos incompetentis judiciĩ abſurdæque ſententiæ convincere non eſt difficile, ſunt enim ex genere hominum animalium, quos ab judicio de rebus ad Spiritum pertinentibus (qualia ſunt hæc quam maximè) ſeveriſſime rejecit Apoſtolus, quorumve *damnationem* conceptis verbis tanquam *juſtam* pronuntiavit. *** Si modernos teſtes ac recentes mundus deſiderat, nunquam proſus animæ defecerunt illuminatæ, ſapientes, viarum Domini intelligentes, ſcientes, *quæ a Deo ipsis donata ſunt*, poſtquam ipsis *Dens revelavit per Spiritum, quæ oculus hominum carnalium non videt, quæ auris eorum non audit, quæ denique in ipſorum cor non adſcendunt*: **** cùm verò his teſtibus non credit, quin imò eos irridet & contemnit, ſuas in rationes, non Dei, referat neceſſe eſt omnes illas tenebras, ſpiſſamque caliginem, in qua deinceps titubat & fluctuat. ***** Ipſa etiam temporis

* Utilem & Theologo dignam navavit operam Jo. HENRICUS MAIUS, inſigne quondam Giſſenſium, noſtræque Eccleſiæ univerſæ ornamentum, dum in lucem publicam edidit *Oeconomiam judiciorum divinarum per omnes ſacri codicis libros ſecundum ſeriem ſeculorum & ſimilitudinem rerum adornatam atque digeſtam*; cùm non modo pluriima & ardua Scripturæ loca ibidem explicaverit, ſed & ſimul egregium oratoribus ſacris apparatus ſubminiſtret circa id argumentum, quod apud illos frequentiſſimum eſt atque graviſſimum. Ibi etiam expoſita & illuſtrata dedit exempla judiciorum divinarum, quæ ſupra ſpeciminis loco allegavimus.

** *Pſalm. CXIX. 52.*

*** *Rom. III. 8.*

**** *I. Cor. II. 9. ſeqq.*

***** Conſideremus paulisper, quales hic teſtes mundus requirat, & quomodo ſe adverſus eos gerere ſoleat? Si recta ratione, quam tantopere crepat, opus eſt, hanc plerique nec habent, nec, ut eam impetrent, legitime conantur; vel, ſi recta

poris ratio, in quo profana & audacia adversus vias Domini judicia apud homines invalescunt, earum sanctitatem ac rectitudinem demonstrat: Non enim Deus in sensum huiusmodi reprobum prius tradere solet homines, quàm id ipsi meruerint per antegressam negligentiam & conculcationem veritatis, ut Paulo teste tùm demùm, *cùm cognoscerent Deum, nec tamen glorificarent, aut gratias ipsi agerent, vani fiant in cogitationibus suis, dùmque dicunt, se sapientes esse, stulti evadant*, vel, ut idem Apostolus alibi loquitur, efficaciam erroris experiantur, postquam diu *non crediderunt veritati, sed maluerunt injustitiam*. * Denique, si omnia in deterius interpretari vellent homines, quæ in Deo vident & observant, vel sic insipientissime se gerere deprehenduntur, quod Deum, si non ament, saltem non magis timeant, quam eorum stultitiam procul dubio Dominus in servo illo moroso & murmuratore notare atque repræsentare voluit, qui ausus fuerat illi dicere: *Domine, novi te, quod durus sis, metens, ubi non seminasti, & colligens ubi non dispersisti*; id vero deinde responsum tulit: *Prave serve & piger: Sciveras me, quod metam, ubi non seminaveram &c.* Oportebat ergo te exponere argentum meum mensariis, ut veniens ego recepissem, quod meum, cum fenore. ** Ex quibus omnibus patet, firmam esse & vere divinam sententiam, qua homines indociles Spiritus Dei alloquitur: *Intelligite stolidi in populo, & stulti, quando sapietis? Qui plantat aurem nonne audiet? formans oculum num non spectabit? Num, qui castigat gentes, non corripiet? Iehova sciens cogitationes hominis, quod haec vanitas*. ***

A 3

§. 2.

recta ratio apud omnes est, ut nonnulli credunt & venditant, hoc saltem certum est, quod paucissimi ea rectè utantur, non tam per philosophicos, quàm spirituales paralogismos, quod nulla ætate luculentius apparet, quam ea, ubi recta ratio sæpè dominari videtur. Si prior ætas veritatem fovet apud se stabilitam, ac Deo sæpè diu multumque procurante in luce collocatam: non raro fit, ut ea posteris tanquam anilis traditio fordeat. Si veritas obsoleta & contempta resuscitatur, tegit se mundus velo erroris venerabilis & antiqui. Si pauci existunt illuminati & sapientes, quis eos ad tantam paucitatem redegit, si mundus in culpa non est? Forte tales habuit & nescivit: Fortè scivit & contempsit. Forte scivit & oppressit. Si latent ac tacent homines viarum Domini solide experti, atque adeo inutiles sunt, seipsum accuset mundus, ejus enim malignitas istos non raro cogit vel ad timiditatem, si infirmi sint, vel ad prudentis silentium, cùm viderint, nihil agi. Hæc & alia id genus verissima sunt, & ista tamen malitia & cœcitas hominum audet in Deum culpam rejicere, & contra se ipsam absolvere.

* 2. Thess. II. 11, 12.

** Matth. XXV. 24. 27.

*** Psalm. XCIII. 8. seqq.

§. 2.

In hujusmodi testimoniis experimentisque omnes utique pii ac religiosi homines humillime semper acquieverunt, adque eorum ductum suam fidem & obedientiam erga Deum in toto cursu vitæ suæ spiritualis tutissime direxerunt, quamvis fides ista plerumque fuerit valde & tamen sanctissime implicita * quod ad interiores recessus viarum divinarum & speciales earum causas attinet. Imo constat, nihil magis in vere fidelibus laudare Spiritum Dei per totam Scripturam, quàm generosam hujusmodi fidem, *quæ est hypostasis eorum, quæ sperantur, & elenchus rerum, quæ non videntur,* ** ut vel ex uno capite undecimo epistolæ ad Hebræos manifestum est. Fatendum quidem, validos quandoque tentationum paroxysmos, & ignita tela calumniatoris Dei atque hominum limpidos hos fontes turbare, atque adeo contingere, ut vel spiritualis Israël dicat: *Occultata est via mea a Jehova, & à Deo iudicium meum præterit.* Sed ille novas vires fidei recipit, cum in auribus ejus resonat vox Domini: *Nonne scivisti? annon audivisti? Deus æternitatis, Jehova creans fines terra non fatigatur, neque delassatur, & non est investigatio intelligentia ejus.* *** Et vel Hiobus aliquis (exemplum in hoc genere

* Non unius generis disputationes de fide implicita occurrunt apud Theologos. In vulgus nota est fides implicita & carbonaria, quæ præcipue in usu est in Ecclesia Romana, atque inter tenebras crassissimæ ignorantia contenta est credere, quicquid credit Ecclesia, atque adeo solo nomine fides est, reapse autem mera ignorantia. Deinde huc a nonnullis referri solet doctrina Mysticorum de contemplatione generali & indistincta, quam hoc loco distincte explicare, & secundum mentem Scriptorum ejus generis ab æquivocatione multiplici liberare, præsens institutum non patitur. Porro, cum doctrina de articulis fundamentalibus, eorumque ad salutem necessitas, maxime pro œconomia & revelationis divinæ diversitate expenditur, disquiri solet de cognitione magis vel minus explicita veritatum eo pertinentium. Optima & saluberrima species fidei implicitæ est, quando mens Christiana humiliter contenta est mensura revelationis a Deo datæ, ejusdemque portionem, qua & ipsa fruitur, non ad speculationem inanem & curiosam, sed ad praxin usumque serium fideliter applicat, porro docilem semper mentem, & paratum ad correctionem & submissionem animum Deo & Spiritui illius offert, ac denique veritatem omnem Deo honorificam & regno ejus promovendo idoneam, quamvis forte sibi nondum distincte cognitam probatamque, quærit, operatur, æstimat & diligit, quosvis autem errores, etiam proprios, quamprimum eos in se deprehenderit, promte & sincere deponere cupit. Cætera quæ hîc dici possent, jam dimittimus.

** Hebr. XI. 1.

*** Esai XL, 27. seqq.

genere incomparabile) cū ad se redit, & in ruborem se dari videt per apologias Domini, lubens tunc fatetur, *se antea enuntiasse, quæ non intelligebat, mirabilia præ se, quæ non sciverit, hincque averfatur, & pœnitentiam agit super pulvere & cinere.* * Imo vero apud solos fideles, cū mūniti sunt pia hac & luminosa simplicitate fidei divinæ, certum fit atque exploratum per divinam & spiritualement experientiam, quod Vir quidam doctus ratiocinando se consecutum esse credidit, nimirum *omnia incommoda, quæ videmus, omnes objectiones, quas sustinemus, omnes difficultates, quas deprehendimus, non obfarcire, quo minus omni jure credamus, etfi aliunde demonstratum non haberemus, nihil esse sublimius Dei sapientia, nihil æquius judiciis, nihil purius sanctitate, nihil denique immensius bonitate.* ** Quin hæc vis est divini luminis, ut in cordibus sanctorum omnes diffidentia & repugnantia tenebras dispellat, fiducia, ut experiamur, Deum esse corde nostro majorem, charitatis, ut timorem foras projiciat, obsequii patientis, quod tandem assequitur id, quod antea distincte haud perceperat, speique denique vivæ, quæ non patitur in Domino confidentes pudesieri. ***

§. 3.

Sed quid dico? Vereor, ne mihi hic objiciatur Italicum illud, quod nec Germanis semper displicet: *Questo e buon' per la predica.* Hoc est Latinis verbis concionari. **** Dicant, quod volunt, quibus hic animus est. Mihi

* *Hiob XLIII. 1. seqq.* Mirabilis erat hæc apologia Domini, de qua sapienter judicat Vir eruditus, GUIL. SHERLOCKUS, in egregio libro de Providentia Dei, cum voluptate insigni nuper a me lecto, cujus verba quædam ex versione Gallica transferibemus: *Enfin, inquit, Dieu repond à Job, & satisfait ainsi la demande, qu'il lui en avoit faite plusieurs fois; mais au lieu d'entrer dans une justification détaillée de la conduite de sa providence, & d'alleguer à Job les raisons, pour lesquelles il l'avoit affligé ainsi, il lui donne certaines preuves sensibles de la grandeur de son pouvoir, & de la profondeur de sa sagesse, qui éclatent dans les ouvrages de la nature; ouvrages, que Job bien loin de pouvoir imiter ne pouvoit pas seulement comprendre. La force de l'argument consiste en ceci: qu'une creature ainsi bornée & ignorante, que l'homme, ne doit jamais se donner la licence de censurer la conduite de Dieu, quelque mystérieuse & quelque incompréhensible qu'elle soit &c.* Conf. omnino p. 158. seq.

** *Tentam. Theodic. p. 145.*

*** *Mich. VII. 7. 8. 9. 1. Job. II. 20. IV. 18. Job. XIII. 17. Rom. V. 5.*

**** Innumera prope occasiones se offerunt hominibus nostri temporis, in quibus hic flosculus, tanquam acuta & egregia sententia, proferri solet. Hoc nomine

Mihi firmissime persuasum, ejus methodi ad securam divinamque tranquillitatem circa Domini vias perveniendi neglectum præcipue in causa esse, quod medios inter Christianos cum viva voce, & per traditionem oralem, tum in scriptis publicis tam projecta & impudens audacia regnet obloquendi veritatibus summis de Deo & sanctissima illius providentia, ut prope signum magni & excellentis ingenii habeatur symbolam non simplicem conferre ad præclaram hanc sapientiam, summo jure de hac consuetudine perversa conquerentibus Viris cordatis & religiosis. * Scilicet Tentator prævidit, se humili

mine totum ministerium sacrum ejusque labores promiscue contemnunt homines profani & libertini. Si quis etiam privatim & justa de causa reprehenditur, non raro is egregie causam suam egisse sibi videtur, si hujusmodi censuram tanquam aliquid concionatorii vilipendat & rejiciat. Forte interpres aliquis *λεηλοζην* videtur alteri: continuo dicit hic, in concionatore, qui e superiore loco verba ventis ferenda spargit, ferri hac forte posse, sed non in accurato interprete. Cum ex monumentis Homileticis corruptionem & mores pessimos illius ætatis, ad quam pertinent, demonstrare conantur Historici, audire deinceps coguntur, conciones esse & declamationes homileticas, non severam & castigatam Historiam. Nec illud prorsus tacendum, concionatorium h. e. contemnendum nonnullis videri, si affectivæ paululum sententiæ & porismata moralia rebus gestis a Scriptoribus misceantur. Alia exempla similia & copiosa jam taceo. Ceterum mea de his sententia est: Nullum cordatum & sapientem Theologum probare vitia & navos s. concionum, s. concionantium, quin potius super iis serio & graviter dolere: Sed & detestari impium illud ludibrium & injusta ea scommata, quæ ex re perse sancta & majoris momenti, quam vulgus omne capit & intelligit, absque justo discrimine, & cum malitiosa confusione eorum, quæ sapientissime discernenda fuerant, conficiuntur.

- * Procul dubio ingens farrago hujusmodi querelarum posset hinc inde colligi. Sed paucissima delibasse contenti erimus in re prohdolor manifesta. Non equidem mihi persuadeo, inquit Ven. BUDDEUS in Præf. *Theſaum Theol. de Atheismo & superstitione*, tantum eorum esse numerum, qui animum ad negandam diserte Numinis existentiam satis obfirmatum habent, quantum eum nonnulli faciunt; at opinionibus ad atheismum ducentibus scatere orbem, qui Christianus vocatur, quibus si vel maxime ad supremum stultitiæ gradum non perducantur, quod tamen aliquando fieri potest, a recto tamen & genuino salutis tramite abducti eternam perniciem sibi attrahant, negari nequit. vid. omnino & seqq. Rectissime quoque scribit laudatus supra SHERLOCKUS: Dans le tems que nous vivons, on croit, que c'est une grande marque d'esprit, que de trouver de nouvelles objections contre la providence, & decouvrir un grand nombre de fautes dans le gouvernement de l'univers: mais si ces personnes croient, qu'il y a un Dieu, ils montrent une coupable irreverence a son egard, sans compter une ignorance meprisable: car n'est-ce pas etre souverainement ignorant, que de vouloir s'eriger en juge & en censeur de la sagesse infinie? V. le Traité de la Providence Cb. IV. p. 199. seq.

mili simplicitati *trepidantium ad verbum Dei* (hoc laudi fidelibus vertit & imputat Sanctus Spiritus) * venenum suum posse difficilius miscere, quam tumultuationibus inquietis & nunquam finituris rationis humanæ divino lumine destitutæ, hincque Deum suo pede metientis, unde priorem illam infamat, & impedit, quantum potest. Nemo proinde miretur, in mundo, imo & in Ecclesia frequentes existerè hujusmodi homines, quos Spiritus S. ipse descripsit tanquam *murmuratores, querulos, in cupiditatibus suis incendentes, quorum os loquitur prætumida, peccatores impios, qui dura contra Deum eructant, & divulgant infamias super vias Domini, efficiuntque, ut multi quoque alii sequantur ipsorum initia, postquam via veritatis per eos caput blasphemari.* ** Nostris maxime temporibus immensum quantum suæ temeritati in judicio de Providentia & regimine Dei indulserunt homines inepte curiosi, magni ratiocinatores, audaces scioli, quorum aliqui ea fuerunt impudentia, ut, postquam sordes omnes impuræ suæ & superbæ rationis (sub aliena licet persona, omni tamen conatu ingenii, & ea vi diligentia & fecunditatis, eo denique Zelo & pondere inclinationis, quibus nec in optima causa religiosissimus quisque & ferventissimus eos facile posset superare) contra sanctitatem & innocentiam Providentiæ divinæ despumârunt, tandem ceu cumulum ludibrii adderent, hanc esse viam ad ostendendam fidei simplicis præstantiam, h. e. Christianorum fidem esse ejus generis, ut absurda quævis & invictis demonstrationibus rectæ rationis prostrata dogmata concoquere possit. Hi sermones, alique similes, sunt verè *σκληροὶ λόγοι, καὶ ὑπερόχαι τῆς ματαιότητος*, quibus & suis autoribus, & multis procul dubio aliis, etiam post ipsorum fata per eos seductis, *ingens thesaurus ira divina* adcrevit & cumulatur. *Θεὸς δ' ἐμυκτηρίζεται.* ***

§. 4.

Quis vero dubitet, posse ac debere hujusmodi calumniatoribus Providentiæ ac viarum Domini vel generalibus argumentis ostendi, quàm absurde, imo quam periculose agant. Turpe est & fatuum de Deo & rebus divinis invereconde, temere, & procaciter garrere, quod ne inter homines quidem liberis, subditis, discipulis, clientibus adversus suos Parentes, Principes, Præceptores, & Patronos impune licet. Deinde fatentur omnes, latere in his consiliis actibusque divinis sapientiæ & perfectionis reconditæ

B

abyssum

* *Esai LXVI. 2. 3.*

** *2. Petr. II. 1. 2. 12. 18. Ep. Jud. 15. 16.*

*** *Gal. VI. 7.*

abyssum, quam nec illuminatissimi, vel si hoc vocabulum displiceat, nec sapientissimi propius intueri ac penitus assequi possint, & infinitos recessus hujus negotii, a quibus tamen gravissima pendent momenta, nostram fugere ignorantiam. Ne in humanis quidem casibus, si causa integra haud perspecta sit, judicium ferri potest, nisi dubium, temerarium, sapè & insipiens. Quis autem hominum gloriari potest, se totum regimen Dei & omnes illas, easque infinitas, viarum Domini rationes vel obiter inspexisse? *Dei objectum infinitum quid est. Cura ejus rerum universitatem complectuntur. Nihil instar est, quod de ipso cognoscimus, & tamen ejus sapientiam bonitatemque cognitionis nostra modulo metiri vellemus. Quæ temeritas, vel potius, quæ absurditas?* * Possumus hic forte ad ipsos Atheos provocare, quos credimus sponte sua fassuros, consequentius dici, quod Deus, si quis extiterit, mundum non regat, quàm quod male & imperite eum gubernet. In hunc similemve modum (neque enim placet plures hujusmodi rationes hoc loco congerere) non simplices modo & creduli, sed sapientes etiam & profundæ alias meditationis homines disputant, & fatentur ingenue, *in Dei causa nihil opus esse singulares causas indagare, vel comminisci, cum generales abunde sufficiant.* ** Nec desunt, qui existiment, turissimum esse in simplicitate Scripturæ, traditisque ab ea veritatibus certis, planis, & exploratis humiliter subsistere, etiam si de earum nexu variisque difficultatibus magni momenti rationem reddere nequeamus. Interim thrasonismi frequentes & intolerandæ propemodum jactantiæ profanorum hominum, at simul larvam insolitæ sapientiæ assumentium, Viris doctis & ingeniosis occasionem præbuerunt cogitandi, magis gloriosum Deo, magis salutare hominibus fore, si murmurationibus & objectionibus istis speciales quoque solutiones opponantur, Deo haud indignæ, etsi non prorsus ubique certæ, attamen verisimiles, sufficientesque ad id, ut credi possit, non sine magnis rationibus ad hoc vel illud agendum, aut permittendum divinam processisse providentiam. Absit autem, absit quàm longissime, ut hoc institutum improbemus, quod gravissimas causas habet, & egregios hic ibi fructus tulit, meditationes intelligo profundas, copiosas, solidas, ad illustrandam veritatem incomparabilem, & repellendos ejus hostes varii generis quàm utilissimas. Id unum mihi concedi velim, hic, si ullibi, verum esse, quod in ipsa etiam defensione sanctissimæ Dei Providentiæ & viarum illius diligentissime cavendum

* Egredia hæc verba sunt Illustris LEIBNITII, qui præclaras passim in hanc rem tradit sententias. *Tent. Theodic. Vers. Lat. p. 177.*

** *Dissert. prelim. de Conform. Fidei cum Ratione p. 27, §. 34.*

dum sit, ne illa plùs ingenii, quàm cordis habeat, ne numero potius, quam pondere, causam Dei tueatur, ne veritatibus primariis accessiones incertæ suspectæque plùs damni, quàm veræ utilitatis afferant. Enimvero hoc illud argumentum est, quod potissimum in præsentia tractandum examinandumque suscipimus, continuaturi hoc modo, quod in *nupera Dissertatione inaugurali* cœpimus, in doctrina huic proposito præ multis aliis convenientissima. Cordate & placide, salvaque, quam debemus omnibus, reverentia nostram si proferamus sententiam, spero fore, ut nemo vel amorem veritatis, vel modestiam Theologo decoram * in his, quæ dicturi sumus, jure desideret.

§. 5.

Plurima statim ab initio moneri hic possent de disputationibus eruditorum plurimorum circa Dei præscientiam, præsentiam, conservationem, concursum, aliosque similes actus Providentiæ divinæ. Sed ista omnia nunc dimitti-

B 2

- * Hæc usque adeo necessaria est Theologo sincero ac serio, qualis per Dei gratiam esse, ac fieri, cupio, ut vel veritas ipsa luere cogatur neglectum hujus officii, quæcunque deinceps fuco hic oblinatur. Hujus regulæ memor non fuit is, qui nuper admodum imprudenter & ex causa nihil minus quàm integre inspecta objicere mihi sustinuit in opere notissimo Collectionis novorum & antiquorum *Historico-Theologico, quasi denuo inchoato*, criminationes plane injustas, quas hoc loco amoliri & refutare necesse non est, post ea, quæ nuper monuimus. Testamur tamen publicè & in conspectu totius Ecclesiæ, nos obreæcationes hujusmodi non mereri, nos veritatem necessariam & salutarem in oculis gerere, momenta rerum graviter ponderare, usum & abusum religiose in his causis ac diligenter secernere, atque ab omnibus *abominationibus in causa religionis* vehementer abhorreere. Rationem aliquando reddemus Domino. Hic opus est scire, in quem credamus. Hic opus est amore veritatis, quæ in Jesu Christo est, opus est solida scientia signorum nostri temporis, opus est eorum, quos Ecclesiæ suspectos reddere conamur, notitia certa, circumspecta, illuminata, in judicio Dei olim valitura, ne temere verberemus conseryos nostros ingratiis Domini: opus est denique, ut argumentis aut rationibus selectis, sapientibus, iisque quæ pares sint, comitante benedictione divinâ, tentationibus nostri temporis, nostrum Zelum approbemus conscientiiis omnibus, quousque illæ Deum quærere deprehenduntur. Cetera, quæ minùs recte loco cit. dicta putamus, nolimus jam ad vivum refecare. Nec enim nos ipsos quærimus, sed ea, quæ Jesu Christi sunt, cujus utinam regnum crescat & amplifìcetur non obstantibus per innumeros excessus ac defectus hominum impedimentis ubique invalescentibus. Id unum denique adjicimus, pugnare adversus sapientiæ regulas, si media eligantur finibus intentis vel inutilia, vel prorsus contraria. Hic certe, si ullibi, impingunt ii, ad quos hoc loco respicimus, cujus erroris ipsos aliquando valde pœnitebit.

mittimus, hac una observatione fere contenti, quod non male is facturus sit, qui simplicitatem gravitatemque Scripturæ comparaverit cum intricatis quæstionibus per homines & olim, & hodie additis, quos in hæc dumeta sequi, nisi forte ad eos inde eliciendos & liberandos, nec tutum est, nec necessarium. Subsistemus in examinandis causis certis, dubiis, falsis, propter quas Deum permisisse peccatum, h. e. non ex toto virium impedivisse ab his aut illis creditur, qui ceteroquin quoad summam rei, quam tuentur, unanimiter consentiunt, deque ea omnes bene mereri cupiunt. Summa scrupulorum rationis adversus æquitatem & rectitudinem hujus permissionis huc redire videtur: Pugnare eam cum sapientia Dei, quasi prævidere & excogitare non potuerit remedia præveniendæ malo congrua: cum sanctitate Dei, si volens dicatur id permisisse, vel si ab invito factum esse statuatur, perspicui non posse, quomodo hoc cum illius omnipotentia conciliari queat: imò, si Deus tam parcus fuerit in dispensatione mediorum, quibus impedire potuisset perniciem suarum Creaturarum, subsistere non posse decantatam illam superabundantiam amoris divini, quam Scriptura tantopere deprædicet. Id laudis materiam in Deo fore, quod summum vitium est in hominibus; Hæc & alia id genus plura solent objici, quæ non repetimus, quia nota sunt. Si quis tamen ea in nervoso & accurato compendio tradita legere cupiat, eum quàm maxime *Illustrem* LEIBNITIUM hîc adire jubemus. * His objectionibus & murmurationibus carnis contra Providentiam Dei circa malum minuendis tollendisque sequentes præcipue rationes apologeticas opposuerunt vel Systemata Theologorum ac Philosophorum ordinaria, vel Scriptores alii ex singulari in hanc causam studio, excogitatisque ideo novis meditationibus celeberrimi. Dicunt autem: Mundorum omnium optimum malum includere necesse fuisse, hocque ipsum Deum ad permitendum malum perpulisse. Cùm Deus nonnisi per vias agat simplicissimas, generales, & uniformes, non vero per voluntates particulares, leges illas propter simplicitatem suam necessario secum trahere sequelas nobis molestas & adversarias. Non posse omnia impediri peccata, nisi per miracula perpetua, quorum multiplicatio sapientiæ divinæ & ordini totius mundi repugnet. Homines exilem partem in toto Universo habere, & nihili punctique loco esse respectu immensæ multitudinis aliarum creaturarum felicium in reliquis partibus universi: In rebus & personis nostri quoque Orbis plura fingi

* V. *Tentam. Theod.* p. 66. *seqq.* Ceterum hoc cœnum non aliunde plenius hauriri posset, quàm ex Bælio: Sed nollem cuiquam autor esse, ut præter necessitatem Camarinam illam Bælianam moveat, aut eidem se immergat.

ra fingi mala, quàm revera existant, cùm physica, tùm moralia. Deum permittendo peccatum voluisse gloriam misericordiæ & justitiæ suæ manifestare atque illustrare. Odium peccati, s. indignationem & iram Dei adversus vitia & mala nonnisi αἰσχροπρεπῶς de Deo in Scripturis enuntiari, adeoque haud nimis longe earum formularum sensum esse extendendum. Peccatum & malum quodvis nonnisi privationem esse, hincque non efficientem, sed deficientem tantùm causam habere. Deum permittere peccatum, ut contraria juxta se posita magis elucescant. Non teneri Deum plura gratiæ subsidia ad peccatum impediendum suppeditare, quàm re ipsa largiatur, etiamsi posset, si vellet. Usque adeò Deo cum peccato nihil esse negotii, ut ante illius existentiam aliunde derivandam nec ideam illius habuerit, aut habere potuerit. Denique impeditionem illam, quam postulant murmuratores a Providentia divina, esse impossibilem, arbitrarie confictam, absurdam, & Deo indignam.

§. 6.

Nostrum jam est de singulis pro instituti ratione aliquid dicere. Primum & principem locum illis concedimus, qui statuunt, mundorum omnium optimum includere malum, hocque Deum ad permittendum malum impulsisse. In hanc meditationem Viri quidam eruditissimi tanto cum pondere se inclinant, ut, rem aliter se habere non posse, confidentissimè asserant, & singulare veritatis solidæ incrementum atque subsidium in his hypothesibus collocent. * Nihil addemus, nihil detrahemus verbis eorum propriis, ex loco non uno jam colligendis. Necesse est, *inquiunt*, optimum a Deo electum fuisse, cùm nihil agat ipse, nisi secundùm normam supremæ rationis. Adversarius aliquis huic argumento respondere impotens respondebit forsitan ejus conclusioni per argumentum contrarium, dicetque, mundum sine peccato & ærumnis esse potuisse. *At nego, hoc pacto mundum futurum fuisse meliorem.* Sciendum enim est, in quolibet mundo possibili omnia invicem esse connexa, ita ut Deus in eo eligendo simul & semel omnia præordinaverit, cùm preces, actiones bonas malasque, reliqua omnia prævidisset. Et res quælibet ante existentiam suam idealiter ad susceptum de rerum omnium existentia consilium contulit, *ut in universo non magis, quàm numero ali-*

B 3

quo

* Tentam. Theodic. p. 335. §. 339. Non advertunt contrariâ sententiæ patroni, inquit ibi L. hoc pacto falsam Deo libertatem conservari, vel potius affingi, sc. libertatem agendi contra rationem, Dei opera correctioni obnoxia reddi, nobisque penitus adimi potestatem, imo & spem quidquam circâ mali permissionem recte esse ratione dicendi.

quo mutari quidquam salva individualitate sua numerica queat. Itaque si vel minimum, quod in mundo contingit, malum deficeret, non amplius idem foret mundus, qui omnibus circumspēctis esse optimus a sapientissimo Creatore, qui eum elegit, est judicatus. . . . Ubi res mutuo sibi nexu copulatæ, partes a suo toto, genus humanum a rerum universitate, attributa divina aliā ab aliis, potentia a sapientia divelluntur, facile dictū est, Deum efficere posse, & facile quidem, ut virtus in mundo sine ulla vitii mixtura regnet. Sed cū Deus vitium permisit, dedit hoc ordini universi quavis aliā rerum collectione potioris. Itaque judicandum est, non licuisse illi aliter agere, quia impossibile erat melius agere. . . . Denique cū inter omnia id eligendum fuerit, quod effectum optimum simul & in summa præstabat, vitium autem hac rima irrepserit, utique vitium excludendo Deus nec perfectē bonus, nec perfectē sapiens fuisset. . . . Permissio malorum ex morali quadam necessitate oritur: ad hanc Deus compellitur sapientia & bonitate sua, & hæc necessitas est felix. . . . Intelligeremus, Deum infinitē sapientem justissimis ac fortissimis rationibus impulsū ad mali permissionem descendisse, & nonnulla etiam facere debuisse, quibus via ad peccatum planior redderetur. . . . * Demonstravimus, vel nullum mundum possibilem fuisse, in quo nihil mali reperiretur, vel ad minimum eum futurum fuisse hoc mundo imperfectiorem. Imo precario assumitur, eum mundum perfectiorem futurum, qui omni malo careret &c. ** Hæc omnia dū legimus, ante omnia suspectum est, quod vel ipsa species prima verborum illorum horreat multiplici scandalo, ut cogantur lectores etiam modesti statuere, eos, qui in hunc modum disputant, vel non recte sentire, vel non recte loqui. Quomodocunque ista explicentur, lapides sane loquitur, qui dicere audet, si vel minimum malum in mundo deficeret, non amplius fore mundum optimum: vitium excludendo Deum nec perfectē bonum, nec perfectē sapientem fore &c. Quam dure & incommode hic ibi Scriptura de providentia Dei circa peccatum loqui videatur *** ad hujusmodi

* Tentam. Theodic. p. 73. seqq. p. 166. seqq. p. 170. Dissert. præl. p. 27. & ill. in numeris.

** Cogitat. Rat. de Deo, mundo, & anima hominis C. VI. p. 557. Vid. & reliqua ibi de hoc argumento copiose tradita.

*** Nota sunt scandala accepta ex phrasibus Scripturæ passim extantibus de inductione, excacatione, impinguatione, traditione in potestatem Satanæ &c. Sed & tralatitium est, atque ab omnibus hodie agnitum (etiam iis, qui in gratiam suarum hypothesium præ aliis interpretibus premunt istas Scripturæ sententias) hujusmodi formulas loquendi in aliis linguis durius sonare, quàm in Hebraica: eas non esse ad literam intelligendas, aut nimis premendas, nisi

jusmodi tamen formulas, quæ summa cum præcisione & Philosophico delectu positæ creduntur, nos nequaquam deducit. Ad minimum certum est, molliorem sensum horum verborum serius in mentem venire lectori, quam duriorem, quo scandalo hodie opus non habemus. Rem ipsam quod attinet, tria potissimum examinanda hîc veniunt. 1. an verum sit in genere, Deum in sensu ab Autoribus cit. intento semper & in omnibus agere ex rationibus unius optimi? 2. an vitium & peccatum in idea mundi optimi ut illius conditio sine qua non involvatur? 3. an ille nexus sit causa permissionis peccati?

§. 7.

Est igitur primo nobis ostendendum: Quo sensu admittere nequeamus: quod Deus unice agat ex rationibus Optimi? Insidias nobis struit quæstio ad fallaciam prope composita, dum eo modo proponitur, ut facile incautos, nec ad omnia circumspectos, lectores possit quasi cogere ad ea improvide affirmanda, quæ longè absunt a vera illorum sententia. Quis enim temerè neger, Deum velle optimum; sapientiam ejus exigere, ut nonnisi optimum eligat? Diligenter igitur attendere oportet ad verum statum hujus controversiæ. Non autem quæritur: an omne id bonum, laudabile, & dignum Deo sit, quicquid eum Autorem habet, sive sint singula, sive totum aliquod universum? Hoc enim per se certum est. Nec illud potest esse controversum: An Deus in omnibus suis operibus, sive hoc, sive illud eligat & constituat, agat sapienter, & convenientissime suis finibus, quos sibi habet propositos? Quis enim sanæ mentis hoc negaverit? Verùm hoc potissimum quæritur: An inter infinita possibilia, eaque omnia nonnisi realia & bona, unicùm tantum detur bonum vel optimum, ad quod acceptandum moraliter necessitata sit divina sapientia, cetera autem omnia sint minus bona, hoc est mala, atque adeo electione sapientiæ divinæ indigna? * Vel an potius

nisi nos in sensu omnium Christianorum confessione absurdos velimus conjicere, in quo tamen casu licere literalem sensum deferere, constans est omnium interpretum regula hermeneutica; Deo id adscribi, quod ex parte peccantium pessimum & sceleratum est, patientibus autem ex veneratione providentiæ divinæ ea æquanimitate & patientia ratione pœnæ aut molestiæ, quæ cum peccatis illis conjuncta est, tolerandum, ac si Deus ipse immediatè hujusmodi aliquid inflixisset; de Deo affirmari, quod id faciat, quod revera nonnisi fieri permittit &c. Ut adeo nulla sit inter has formulas Scripturæ, & inter philosophemata controversa paritas & æqualitas.

* Jam suprema ista sapientia bonitati non minus infinita adjuncta non potuit non eligere

tius salva in omnibus Dei operibus decentia & harmonia perfectionum divinarum, quibus contrarium nihil facere, constituere, ac decernere Deus potest, infinita ipsi obversentur objecta representando & exprimendo perfectissimo atque illimitatissimo ejus beneplacito idonea, quæ æque bona, æque subdita sunt liberrimæ electioni & dispositioni divinæ ad relationem finis & mediorum, atque eorum sunt opposita? Prius ab iis supponimus affirmari, quorum veram sententiam nos male intellexisse (si forte hic erravisset) cum voluptate fatebimur. Posterius nos ex communi, eaque, ut putamus, recta amplectimur doctrina. Nihil autem dicemus sine rationibus, quæ nûm fortiores tantum sint, an verò etiam meliores? de eo plenum lectoribus nostris relinquimus arbitrium. Primum existimamus, per hujusmodi hypotheses Sapientiam divinam (cujus tamen exaltandæ studium speciosissimum hîc prætextum subministrat) minus perfectam & gloriosam reddi, quàm eam nobis communis exhibet sententia. Velim hanc rationem, vel potius rationes plurimas uno sermone conjunctas maturè atque in Domini timore considerari, meretur enim hæc causa seriam meditationem. Recepta hæc sententia docet ex S. literis, quod Sapientia suprema, *sciens, quid beneplacitum sit in oculis Dei, & quid rectum in mandatis ejus, architecta fuerit omnium rerum** ita ut propter voluntatem Dei omnia sint, & creentur,** quia, *que vult, fecit & facit**** Illa autem recentior hypothesis visas quidem & intellectas concedit ideas & essentias rerum a Sapientia Dei, sive quod idem est a Deo sapientissimo, sed negat, eas ab illo tanquam causa & principio suo factas & constitutas esse. Ex communi sententia infinita possibilia in Sapientiæ conditricis relinquuntur potestate, ad ea formanda, constituenda, & ordinanda pro summo & illimitatissimo illius Beneplacito: secundum novum autem Systema nonnisi ad unicum quoddam objectum, præsumtum scilicet optimum unicum, necessario determinata est, ceteris omnibus ab illius ambitu prætextu imperfectæ vitiosæ exclusis, quæ tamen in iis revera nullum locum habet. Ex communi sententia nihil verum,

gere optimum, nam sicut minus malum est quoddam boni genus; ita minus bonum est species quedam mali, si bono majori obicem ponat, essetque in Dei actionibus corrigendum aliquid, si melius agendi locus foret. Tent. Theod. p. 72. Vitium hujus sententiæ est, ut manifestissime apparet, quod nulla admittatur æqualitas objectorum plurium respectu Beneplaciti divini, alias enim nihil horum dicendum esset melius altero, aut ita optimum, ut alterum indigaum sit electione divina, quod tamen ubique ut magna & ardua veritas supponitur.

* Prov. II. 30. 31. Sap. Salom. c. IX. 9.

** Apocal. IV. 11, *** Psalm. CXV. 3.

rum, nihil bonum statuitur in creaturis, nisi pro ea mensura, quam sapientia & voluntas divina ipsis pro ratione finium & intentionis suæ communicavit: Nova illa hypothesis contra adoptat veritates & bonitates æternas, quæ etiam locum haberent, etiamsi per impossibilem casum Deus non esset, atque adeo nec illius existeret sapientia, idque unicum in eo casu incommodum statuitur, quod jus naturæ, quo tenerentur homines, tunc esset imperfectius. * Secundum doctrinam ordinariam Sapientia divina pulcherrimum quidem ordinem servat in omnibus suis operibus, sibi autem ipsi immensam servavit libertatem potestatemque in ipsa sua opera, salvis legibus, quibus adstringuntur creaturæ: Nova sententia æque Deum ipsum ejusque sapientiam prætextu minimè fundato certis atque immutabilibus legibus, atque creaturas ejusdem, innectit & obligat. Doctrina communis sapientiam divinam summo extollit opere, sed eam cum ceteris attributis divinis, maxime supremo Dei beneplacito & dominio liberrimo sic conjungit, ut alterum alteri locum suum amicissime relinquat. Ex nexu vero nervoque dogmatis unius optimi sic omnia divinæ tribuuntur sapientiæ, quasi sola esset, & cum manifesto præjudicio liberrimi Beneplaciti & Majestatis supremæ in omne id, quod ad essentiam & naturam Dei ipsius non pertinet, sine cujus tamen excellentiæ divinæ cognitione atque veneratione magna pars Scripturæ S. & nostræ de Deo notiæ stare non potest. Denique ex communi sententia ad-

C

mitti-

* Ill. Autor Theodiceæ dicit quidem, consultum hic non esse (ex veritatis-ne aut prudentiæ titulo?) penitus ultra Deum progredi: nec cum Scotistis dicendum, quod veritates æternæ substituta forent, etiamsi nullus intellectus, ne divinus quidem, exstaret, nam, ut sua ferat sententia, intellectum divinum esse, qui veritatum æternarum realitatem faciat, etsi nullam hic partem ejus obtineat voluntas. Hæc tamen verba sub finem adduntur: Interim fatendum est, jus naturæ, quo tenerentur homines, remoto Deo, imperfectius fore. p. 225. §. 184. Majorem confitendi libertatem deprehendimus in verbis seqq. Das Gesetz der Natur ist durch die Natur fest gestellt worden / und findete statt / wann auch gleich der Mensch keinen Oberen hätte / der ihn dazu verbinden könnte; ja es würde statt finden / wann auch gleich kein Gott wäre. Und also irren diejenige / die ihnen einbilden / ein Atheist möge leben / wie er wolle u. wann er nur von Bürgerlichen Straffen frey ist; dann dieses trifft nur ein / wann ein Atheist unverständlich ist / und die Beschaffenheit der freyen Handlung nicht einsehet. Daher bringt ihn nicht die Atheisterei zum bösen Leben / sondern seine Unwissenheit und Irrthum von dem Guten und Bösen. Es sey fern / daß ich den Atheisten das Wort reden wollte. Ich kan doch aber auch nicht wider die Wahrheit seyn. Cogit. Rat. de hominum actionibus & moribus c. 1. p. 15. 16. Utinam superflua hujusmodi, falsa, periculosa & inepta præcisiones inter Christianos nunquam visæ fuissent, vel auditæ.

mittitur quidem, quasdam rerum principalium essentias, supposita voluntate Dei, ut tales existant, suppositisque finibus hoc vel illo modo repræsentandi perfectiones suas divinas non potuisse alias existere, quàm revera deinceps exstiterunt: multum tamen abest, ut omnes plane essentias rerum, & multo adhuc minus, omnes earum modos, gradus, circumstantias, & accidentia faciat æterna & immutabilia, sed infinita ejus generis placito liberrimo sapientiæ infinitæ rectissime subjicit: contra quàm facit nova illa hypothesis, quæ hac in re forte magis adhuc paradoxa est, quàm tritum illud axioma Scholasticorum de essentiis rerum æternis, quod Viri doctissimi hodie tantum non exsibilant. Si quis hætenus dicta in summam contracta malit, sciat, hypothesin illam de ratione unius optimi in rebus universis Sapientiam divinam ab origine rerum remove, objecta actuum illius liberorum infinita ad unum restringere, non creaturas tantum, sed Deum ipsum legibus immutabilibus limitare; Sapientiam divinam cum liberrimo Dei beneplacito hostiliter committere, omnes denique rerum essentias, imò totam seriem rerum omnium in hoc mundo immutabilem confingere. Judicent jam universi, sed subductis probe & maturè omnibus, quænam ex duabus his sententiis Sapientiam Dei supremam & independentem magis honoret & amplificet? Secundò nec illud apparet, quomodo voluntas Dei sit causa libera existentiae rerum omnium, si Deus ad electionem vel potius acceptationem Unius tantum, quod solum optimum dicitur, per sapientiæ suæ perfectionem ubique determinatus est, nullaue in eo datur libertatis indifferentia. Dicitur equidem, potuisse Deum ex infinitis mundis possibilibus eum, qui nunc existit, tanquam optimum eligere: Sed rectè objectum est a Viris doctis huic sententiæ, ea stante, ne dari quidem alios mundos Deo possibles, idque inde concludunt, quia omnes alii mundi minus essent boni, quàm optimus, hoc est, respectu Dei eligentis mali, qui nisi optimum velle non potest, ac multo adhuc minus malum velle potest. Ad gravem hanc objectionem, quæ plana & perspicua est, & cuius sponte sua in mentem venit, hæc duo video responderi. 1. utique necessariam esse istam electionem unius optimi, sed eam necessitatem moralem tantum esse & hypotheticam, non autem absolutam & physicam. * 2. ubi de rei possibilitate sermo est, non agi de causis, quæ efficere possunt, ut res illa existat, hinc, si querimus: sitne res aliqua possibilis, aut necessaria, considerationem eorum, quæ Deus vult & eligit, non esse involvendam. ** Si quid autem judico,

* Occurrit hæc distinctio in locis innumeris.

** Theodic. p. 263. §. 235.

judico, hæc magis subtilia sunt, quàm solida. Cujuscunque rei necessitas ex ipsis ejus perfectionibus essentialibus petitur, illa non est moralis tantum, sed etiam physica aut metaphysica, non hypothetica tantum, sed & absoluta necessitas. Hujusmodi autem est necessitas, quæ ex sapientiæ divinæ essentiali & invariabili perfectione derivatur. *Regulam optimi violare est divinitatem destruere. Bene eligere Deo naturale est.* * Ergo Deus optimum illud unum elegit non tantum morali, sed etiam physica vel metaphysica necessitate. Viderunt hoc Scholastici ipsi, a quibus jam olim hæc quæstio docte & ingeniose ventilata est. Audiamus in hujus rei testimonium ex multis IGNATIUM DERKENNIS: *Si foret, inquit, necessitas moralis cum plena infallibilitate, foret physica. Sed non est physica. Ergò nec moralis. Major probatur: Infallibilis electio optimi oriretur in Deo ex aliquo priori, quod in Deo est, & pro fundamento & radice haberet ea, quæ natura divina insunt. Si ergo ex iis oritur infallibilis electio optimi, certe ex natura Dei oritur. Ergo est propriissime physica, h. e. ex natura divina principiis. Nec vero aliter intelligi potest physice necessitari, quam necessitari prorsus infallibiliter ex inclinatione nature, ex attributorum intrinseca ratione, ex amore, quo seipsum diligit, ex vi objectorum, prout connexa sunt cum infinita ipsius essentia, ab eaque pendent, & ceteris hujusmodi, idque in eo rigore, ut, si aliter fieret, sequeretur, Deum non esse Deum, quod adeo verum est, ut adversarii non possint argumenta pro se adducere, nisi probantia physicam necessitatem.* ** Altera exceptio de possibilitibus extra causas, atque adeo & extra Deum considerandis minorem adhuc plausum meretur. Non opus est, ut nos immittamus in tricas metaphysicas de possibili vel impossibili, quæ tamen non favent huic effugio. Loquamur ea de re, ut solent ac debent Theologi. Cùm apud ipsos quæritur: an Deus quidquam facere possit, nec ne? nequaquam illi considerant solam potentiam Dei, sive vim & facultatem ejus agendi naturalem & physicam, sed consulunt insuper omnes Dei perfectiones & decentias: quicquid his contrarium est, Deo impossibile, quod cum iis convenit, aut illis non repugnat, Deo possibile dicunt. Quoniam igitur omnes alii mundi, qui fingi possint, non sunt mundus optimus, optimum autem mundum non eligere repugnat omnibus decentiis & perfectionibus divinis, rectissime secundum regulam Theologorum modo adstructam inde concluditur, omnes alios

C 2

mun-

* Theodic. p. 198. §. 159. Deus peccatum impedire nequit, quin agat contra id, quod sibi debet, quin faciat aliquid ipso hominis peccato pejus, quin regulam optimi violet, quod esset divinitatem destruere &c. Conf. p. 408.

** V. ejus liber de Deo Uno, Trino Creatore p. 198. seqq.

mundos, qui nonnisi imperfectiores esse possent, revera esse respectu Dei impossibiles, atque adeo nec posse ab eo eligi. Id vero cum ex propria confessione defensorum Unius Optimi a veritate abludat, etiam principii sui falsitatem una involvit atque demonstrat. Et certe nil nisi fucum esse, quod de electione aliorum mundorum possibilium dicitur, NICOL. MALEBRANCHII candidissimo effato confirmare possumus, qui saepe fateretur ingenue, quod alii suarum hypothesium patroni callidius dissimulant. * Tertio dogmati isti de necessitatione sapientiae divinae ad unum optimum, negataque in Deo indifferentia libertatis rectissime a Viris doctis obijcitur: inde securum, nihil posse fieri, nisi quod actu fiat. De hujus consecrarii absurditate nemo dubitare potest, qui vel testimonia Scripturae, vel sanæ rationis axiomata de Omnipotentia & Beneplacito Dei ritè consideraverit. Quid ad hæc *Autor Theodicae* doctissimus? Scilicet nec lubens fateretur hanc consequentiam, nec tamen penitus dissimulare potest, eam cum suis hypothesebus arcte coherere. De ABELARDO & WICLEFO, in quibus hæc propositio quondam damnata est, hoc unum dicit, eos in locutiones incommodas offensivasque minime necessarias, in logomachiam, incidisse, item, viros doctos sibi & veritati injurios esse, cum sine causa locutiones novas & male sonantes affectant, ** quasi imprudentiam confessionis nimis ingenue potius accusare veller, quam errorem vere talem. Dicit porro, nonnisi eos in hoc absurdum incidere, qui brutam cæcamque necessitatem statuunt. *** Enim vero facile ostendi potest, etiam eos idem cogi asserere, qui ex quacunque ratione nonnisi unum optimum in Deo admittunt. *Minus boni facere,*

* *Lorsque je dis, sont illius Scriptoris verba vernacula, que Dieu forme librement son dessein, je n'entens pas, qu'il puisse en choisir un autre, qui soit moins digne de sa sagesse en rejettant celui, qui en est le plus digne. Car supposé, que Dieu veuille produire au dehors un Ouvrage digne de lui, il n'est point indifferent dans le choix, il doit produire le plus parfait, qui soit possible, par rapport a la simplicité des voyes, par lesquelles il agit. Il se doit cela a lui-même de suivre les regles de sa sagesse, il doit toujours agir de la maniere la plus sage & la plus parfaite. Mais je dis, qu'il forme librement son dessein, parce qu'il n'aime invinciblement & necessairement, que sa propre substance. Traité de la N. & de la Gr. II. Part. p. 162. seq. Fateretur utique his verbis MALEBRANCHIUS, omnem alium mundum sapientia Dei minus dignum fore, atque adeo revera non potuisse a Deo eligi aut creari, consequenter, fuisse respectu Dei impossibilem.*

** *Theodic. p. 212. seqq. §. 171. seqq.*

*** *l. c. p. 216. §. 174.*

cere, quam fieri potuerit, est in sapientiam bonitatemque peccare. * Concludimus ex his verbis: Si plura fieri possunt, quàm quæ actu fiunt, sequitur, Deum minus boni facere, quàm fieri potuerit. Sed modo vidimus, hoc tantundem esse, atque in sapientiam & bonitatem peccare, id quod in Deum competere non potest. Alibi dicitur: *Totam suam in agendo bonitatem exercuisse Deum, hocque ipso omnipotentia ipsius exercitium sapientia legibus consentaneum fuisse,* ** quod eodem recidere videtur. *Quicquid in hoc mundo possibile est, id vel jam adfuit, vel præsens est, vel in posterum fiet: quod vero in hoc mundo impossibile est, in alio tamen posset existere, aut contingere.* *** Itaque ad minimum hoc verum erit, quod in hoc mundo nihil fieri possit, nisi quoad actu sit, atque adeo frequentia Scripturæ testimonia: *Deus noster in cælis, quicquid vult facit; omnia apud Deum suntabilia* &c. non de hoc mundo nostro, sed de aliis possibilibus, qui nunquam erunt, aut fuerunt, oportebit intelligere, quod ipsum serio quenquam esse dicturum, magnæ rationes me cogunt dubitare. Quæso in quàm otiosas & inutiles subtilitates se quandòque eruditi conjiciunt! Sed nolumus his diutius immorari. Quarto dogma necessitationis ad Unum Optimum in omnibus ex actibus Dei liberis, atque in specie ex plena atque indifferentissima libertate creandi vel non creandi hoc universum refellimus. Aut rationes pro creando mundo rationibus pro mundo non creando fuerunt æquales, aut meliores. Si fuerunt æquales, in Deo fuit æquilibrîi indifferentia ad eligendum cùm hoc, tùm illud pro lubitu, quod tamen contraria negat sententia. Si fuerunt meliores, Deus mundum ex necessitate sapientiæ, hoc est, perfectionum suarum essentialium non potuit non creare. Deus igitur contra sapientiam suam fecisset, si mundum non creasset. Quis tam dura & absorta ferre potest? Ubi Scriptura S. sic loquitur? An ergo Deus minus sapiens, minus bonus fuit in ea æternitate, in qua se a mundo creando abstinuit? Eodem jure ex rationibus Optimi concludi posset, (quod & revera huic sententiæ a Viris Doctis objectum legimus) citius **** mundum creari debuisse, quia infinite sapientis est non solum eligere optimum, sed &

C 3

idem

* l. c. p. 237. §. 201.

** l. c. p. 350. §. 359.

*** Was also in dieser Welt möglich ist / das ist entweder schon da gewesen / oder ist noch da / oder wird noch künftig kommen &c. *Cogit. Rat. de Deo, mundo, & anima* p. 308.

**** (e. g. ita, ut nunc loco bis mille annorum, & ultra, decem millia annorum haberet mundus noster, quod studio his verbis exprimimus, ne incidamus in litiçulam inanem de conceptu temporis quasi extra Deum existentis, quæ hic fluctus excitavit in simpulo.)

idem ex toto virium, & quàm citissime, ubi nihil obstat, eligere. Quis non videt homines hic evanescere in suis de Deo cogitationibus, &, quod supra jam dicere cœpimus, prætextu sapientiæ divinæ extollendæ injuriam facere reliquis Dei perfectionibus, maximè summæ ac independenti Ejus Majestati ac libertati? Imo vero conceptis verbis fatetur MALEBRANCHIUS, unus ex acerrimis defensoribus Unius optimi: *Deum nec serius, nec citius mundum potuisse creare* * & SAM. CLARKIO, Theologo ac Philosopho clarissimo, non dubitavit *Ill. Autor Theodiceæ*, & post eum ex illius mente alii respondere: *si quis dicat, eundem mundum citius creari potuisse, nihil dicturum, quod intelligi possit, idem hoc fore, ac humano capiti cervicem pictor equinam jungere si velit, hujusmodi aliquid nonnisi imaginatione fingi posse, nullum sensum ista habere, sed hypothesin impossibilem esse.* ** Quæ omnia consequenter equidem dicuntur ex nexu principiorum semel electorum, sed nihil minus, quàm verè, ut ex allegatis rationibus clarissime patescit. Certe fiducia, quæ in hujusmodi paradoxis tradendis ostenditur, prope supra fidem est. Quinto vellem sobrie & mature considerari perniciofa eorum exempla, qui hujusmodi hypothesibus de rationibus unius optimi, de exclusis a voluntate sive Beneplacito Dei omnium rerum essentiis, de negata in Deo indifferentia, & actibus ejus liberis nefarium in modum, vel saltem periculose abusi sunt. Nihil nunc dicam de universali vitio hominum *ψυχνών* Deum sibi similem facientium, & credentium, Deo ipsi optimum videri, quod in eorum oculis & corde optimum habetur. Parùm etiam dicam de excessibus in æstimanda ratione optimi, hoc est, in ratione decori & convenientiæ, quam in Deo locum habere docent Theologi Romanæ Ecclesiæ addicti. Sc. ex hoc principio sibi fingunt, melius esse, si Ecclesia sit infallibilis, si judicem & arbitrum visibilem ac personalem religionis

* Postquam dixerat MALEBRANCHIUS, *mundum esse emanationem necessariam divinitatis* (quam formulam nullo modo probare possumus, siquidem hæc genuina Autoris verba sint) pergit deinceps in ordine suæ ratiocinationis. *Ainsi, inquit, ne pensez point, que Dieu ait retardé la production de son ouvrage, il aime trop la gloire, qu' il en reçoit en Jesus Christ. On peut dire en un sens tres-veritable, qu' il l' a fait aussitôt, qu' il a pu faire. Car quoiqu' à notre egard il l' ait pu créer dix mille ans avant le commencement des siecles, dix mille n' ayant point de raport a l' eremité, il ne l' a pu faire ni plutot, ni plutard, puisqu' il fallut, qu' une eternité les precedât.* l. c. p. 5.

** V. *scripta amœba* notissima in vers. Germ. p. 73. p. 125. seq. 135. inprimis autem p. 157. eo loco, quo leguntur responsa satis confidenter scripta, eaque cum autoritate tradita, quam ipse Autor primarius nunquam affectavit, quem eminens, ac passibus præterea haud æquis, hic sequi tales decuisset scriptores.

gionis habeat; magis decere Deum, si matrem Filii sui a macula originali exemerit, & alia id genus plura. Quis modum ponet ejusmodi conjecturis, si audacter extra verbum Dei philosophari liceat humano ingenio de ratione decori & optimi, quæ Deum obliget & necessitet? Hoc pretextu nugas suas infucavit Spinoza, Hobbefius, & fimilis furfuris homines, quorum venenum hodie valde grassatur, & instar gangrænæ serpit. Memorabilia sunt, quæ de experimentis suis tradit Celeb. Vir, & diligentissimus horum phænomenorum observator, P. POIRETUS: Ceterum, *inquit*, non dantur solùm, qui ex idearum æterna necessitate legitimè deductam esse consequentiam de fato, de eventuum omnium fatali necessitate, deque libertatis negatione asserant, ita tamen, ut ab hac consequentia de fatalitate abhorreant, & ea velut absurdo errore utantur ad falsi convincendum principium ideisticum, unde vere eadem sequitur, *sed quod pejus est, & quod deplorandum est*, dantur & plures alii, doctissimi aliqui, qui contendunt, & hanc consequentiam esse legitimam, & eandem in se ipsa consideratam, unà cum principio, unde illa sequitur, veram esse, ac proinde omnia revera esse fatalia, nulla libera. Novi ego non unos, qui hoc credant, defendant, aliis inculcent, item & qui dudum id fecerint. Vivos non nomino: inter defunctos unus ex iis erat Celeb. VOLDERUS, qui ex eo, quod ideæ necessario & immutabiliter ex intellectu divino sequerentur, eo devenerat, ut omnem & Deo & hominibus libertatem apertè tolleret, quod & in laudatione ejus funebri minime diffiteretur Cl. GRONOVIVS, quando aliquot ejusdem docti Viri principia Metaphysica ibi enarrans hoc inter alia recenset decimum numero: *Nul- lum igitur liberum arbitrium in mente, nullum casum in corpore.* Ego quando in *Dissert. de Methodo inveniendi verum* libertatem pluribus probavi atque vindicavi, id feci eo adaclus per illorum sermones auribus hisce meis perceptos, qui illam negabant, h. e. qui fatum statuebant, & quidem ex indicatis sapius idearum æternarum ac immutabilium principiiis.* Conferri etiam meretur ex Cartesianis Theologis CHRISTOPHORUS WITTICHIUS. En quàm egregias is sequelas ex rationibus Optimi, negataque in Deo indifferentia deduxerit. Dicimus, *inquit*, Dei naturæ repugnare omnem indifferentiam tam intellectus, quam voluntatis. Non potest poni intellectio & volitio possibilis, quæ in hac ipsa, quam Deus ab æterno habuit, non includatur, quin eo ipso negetur, Dei intellectiõnem & volitionem, quam ab æterno habuit Deus, esse summe perfectam. Quin imo, si concipiamus, Deum potuisse habere aliam intellectiõnem & volitionem, quam revera habuit, necessario etiam debemus

con-

* Vid. ejus *Vera & Cognita omnium* prima p. 282. seq. & alibi passim.

concupere, *potuisse alium esse Deum, quàm revera est.* . . . Constat ex dictis, Deum isto actu æterno voluntatis & intellectus, quem alium esse non potuisse, variis confecimus hucusque argumentis, constituisse & ordinem universi, & quemvis ordinem particularem, qui has vel illas particulares spectat creaturas. Quodsi vero Deus alias potuisset suo intellectu constituere rerum essentias, & *alias res existentes decernere sua voluntate*, quam revera constituit & decrevit, Deus constituens hunc ordinem sive universalem sive particularem, qui nunc est, *non eum optimum omnium constituisset* &c. Non ergò Deus ab æterno indifferens fuit ad hoc potius judicandum & volendum, quàm aliud, sed sapientissime id judicavit & voluit, nec propterea potuit aliud velle. Vidit nempe Deus infinito suo intellectu omnia possibilia, vidit necessario, non potuit non videre, quin imo hoc ipso suo intellectu ea omnia constituit, vidit necessario omnia, quæ sunt optima, quæ eo ipso non potuit non decernere, *presertim cum inter ipsius intellectum & voluntatem summa sit identitas.* * Hoc demùm est consequenter disputare, si quid intelligimus circa nexum hujusmodi principiorum! Quas chimæras opiniuncularum insalubrium ex his principiis confinxerit MALEBRANCHIUS, deinceps ex parte ostendemus. Nec dubium est, quin plura id genus specimina passim extent apud eruditos nostri temporis. Non igitur sine gravissimis causis dogma de origine rerum omnium, cum quoad essentias, tum quoad existentiam ex sapientissima simul & liberrima Voluntate & Beneplacito Dei defenditur, una cum indifferentia Majestatis, Dominii, & libertatis divinæ circa objecta infinita: & ex ipsis etiam Reformatis (quorum tamen hypotheses reliquæ ad negandam in Deo indifferentiam fortiter inclinant) multi Viri doctissimi perspectis periculosis illarum hypothesium consequentiis radicem cum fructibus amputant. Hinc contra WITTICHIUM acute disputavit HERMANNUS ALEXANDER ROELLIUS. ** Adversus unum optimum disputat ingeniosissimus la PLACETTE, dum leges, secundum quas Deus agit cum creaturis suis, distin-

* Prolixe, sed crude, contra indifferentiam libertatis divinæ disputat WITTICHIUS in *Commentario de Deo ejusque natura & essentia ejusdem Antispino-sæ* subjuncto, quem totum legi velim, ne quis putet, me potiores rationes dissimulare velle. Misera Theologia & Philosophia hinc necessario emergit, eum se circa hoc argumentum miscere Scholasticismus, Cartesianismus, Supralapsarismus, Prædeterminatio, Necessitas, qualem mixturam ipse PLACETTE *le composé du monde le plus affreux* nominat. Misera hæc methodus est disputandi contra Spinosam.

** in *Dissertatione de Indifferentia Dei circa decretum & opera externa*, in qua multa egregia & memoratu dignissima leguntur errori satis gravi jure opposita.

distinxit in naturales & necessarias, & rursus in positivas & arbitrarias, quarum priores sunt ipsæ perfectiones divinæ, posteriores autem sunt effectus voluntatis ejus independentis & liberæ. * Laudamus etiam in hac materia JOH. WAJENUM, Theologum magni nominis in Ecclesiis Belgicis, cujus meditationes huc quadrant quàm maxime. Speciminis loco quædam tantum ex eo decerpemus: *Quando autem, inquit, de exprimibilitate Dei loquor, cave putes, me concipere ullarum rerum possibilitatem, qua liberum actum voluntatis divinæ antecedit, aut essentias me rerum fingere, quæ ab æterno fuerint, Deique decretum anticipaverint. Quin nostra hæc cogitatio radicitus evellere absurdas illas cogitationes apprime idonea est. Certe rerum ideas prorsus æternas & possibilia quadam antecedenter ad Dei decretum (voluntatem) qui fingunt, illi res omnes negant esse solum adumbrationes Dei; etenim divini quid, essentia nimirum æternitatem & independentiam iis adscribentes ultra adumbrationis sortem evehunt, imo vero & Deum dependentem faciunt, quippe concipientem res jam sua natura & idea tales, antequam de iis quidquam statuerit aut decreverit. &c. *** Ego his omnibus id unum porisma adjicio: non fore honorificum Ecclesiæ nostræ, si illa, quod absit, hujusmodi errores sorberet, quos Ecclesia Reformata per multos Doctorum suorum candide agnoscit, & cordatè abjicit. Denique, ne cumulatis nimium objectionibus Lectori molesti simus, eo lubentius communem doctrinam in hoc articulo retinemus, quia rationes Virorum doctorum, quas in contrarium proposuerunt, prævalentes esse non deprehendimus. Dicunt: *Ens sapientissimum nonnisi optimum posse eligere.* Nos respondemus, Deo qua agenti liberrimo infinita obversari, quorum neutrum altero melius est, idque mirum esse a quopiam negari. Sapientiæ divinæ est nonnisi bonum eligere: Divinæ libertatis, multa bona posse ordinare & constituere, & ex multis bonis, quæ omnia eligi possent, quod placet, eligere. Objicitur: *Deum nihil sine ratione agere.* Nos vero negamus, Deum sine ratione agere, cum summum & liberrimum suum Beneplacitum exercet. Addunt porro: *Deum nulla prorsus in re indeterminationis omnimoda capacem esse.* Hoc lubentes fatemur, si indeterminatione ex ignorantia, dubitatione, impotentia & similibus causis profecta intelligatur: enimvero hanc indeterminationis vel indifferentiæ speciem nemo statuit. Quodsi autem nihil aliud sit, quàm potestas aliquid liberrime faciendi, vel non faciendi, hoc vel illud faciendi aut omittendi, eam in Deo locum non habere, aut vitium fore, nonnisi per puram pu-

D

tam

* *Reponse à une objection, qu' on applique à divers sujets &c. p. 275. seqq. p. 286. seqq. p. 117. seqq. & alibi passim.*

** *Summa Theologia Christiana p. 168. seqq.*

tam petitionem principii asseritur, eademque facilitate negatur, qua id nonnulli affirmant. Idem dicimus de ea propositione, quæ docet: *voluntatem Dei semper esse fixam*. Nihil falsius est sensu obvio hujus sententiæ, alias enim Deus nihil posset velle, nisi quod actu voluit, quod infinito Dei beneplacito & immensæ illius omnipotentiae prorsus contrarium est. *At rationi ajunt consentaneum, ut nec melius fieri possint, qua Deus facit.* Nos vero distinguimus inter melius facere, & meliora facere. Prius de Deo temere haud affirmamus. Posterius autem in Dei potestate est liberrima. *Sed malum est apud Deum, quod optimum non est.* Enimvero hoc negandum putamus, ubi de donis & beneficiis Dei quaestio est. Minus beneficium, idque prorsus indebitum, ac præterea non simpliciter necessarium, non est species maleficii, sed est veri nominis beneficium, quod augere vel minuire situm est in facultate benefactoris, ut divinus ille Paterfamilias respondit: *Annon potestatem habeo faciendi in meis, quod volo?** Bonitas Dei, non essentialis & absoluta, sed libera & relativa ad creaturas gratuita est & arbitraria, ac *dispensat dona sua*, etiam pretiosissima, *sicut vult*.** Forte tamen illud absurdum ex recepta sententia consequitur: hoc modo fieri posse, *ut Deus proprium suum opus corrigat, hocque ipso detegat, se vel nescivisse antea, quid melius sit, vel id non potuisse conferre, quorum neutrum in Deo accidere possit.* Sed nec illa obiectio nos movere debet. Opus Dei non corrigitur, cum placet Deo ornamentis accessoriis illud augere, quæ etiam si absint, non tamen impediunt, quo minus tale sit, quale Deus esse voluit, hoc est, finibus divinis tum convenientissimum, unde potissimum ratio Optimi & perfecti in divinis operibus æstimanda est. Actus divini corrigi non possunt, at possunt corrigi opera Dei, h. e. illius creaturæ, quia fieri potest, imo re ipsa factum, ut eam bonitatem physicam, moralem, spiritualem amittant, quam a Creatore suo acceperunt, nec tamen acceperunt ut partem naturæ suæ vel essentiæ, sed ut perfectionem, quæ amitti, atque adeo restitui quoque possit per correctionem & emendationem. Imo nec Opus Dei, qua opus Dei est, corrigitur: sed nec illud veremur dicere, omnino correctione opus esse in operibus divinis, si nimirum haud permaneant in eo statu, quo eadem divinus artifex constituit, si peccatum, si corruptio, si inordinatio & perversio creaturarum interveniat. Tunc magnum hoc opus Dei est, quamdiu hæc durant, ut ea corrigat & emendet. Sed id in controversiam hoc loco venire, aut negari a quopiam posse non existimo. Ceterum si libere dicere liceat, quod sentio, vitium primum

* Matth. XX. 15.

** I. Cor. XII. 11.

rium omnium hujusmodi objectionum in eo credo latere, quod Essentialia in Deo cum Beneplacito ejus liberrimo, & ea, quæ ad hoc non minus, quam ad illa pertinent, ubique confundantur, ut passim a Viris doctis ostensum est. Ex quibus omnibus jam concludimus, tantum abesse, ut hypothesi illa de ratione unius optimi, quæ fundamentalis instar doctrinæ magnique, quod vocant, principii omni Theologiæ & Philosophiæ hodie a nonnullis subternitur, omnes difficultates radicitus excindat, atque in specie unicum sit principium circa mali permissionem rectè & cum ratione quidquam dicendi, ut potius exasperare apta sit, & augere errores, si eo, quem vidimus, sensu doceatur, atque in doctrinam Theologicam admittatur.

§. 8.

Alterum, quod nobis præcipua quadam ratione probandum est, huc redit: Ideam mundi optimi non esse conjunctam cum vitio s. peccato, tanquam conditione, sine qua non esset optimus, sive mundum consideremus in diversis suis separatisque statibus, sive in toto eorum omnium complexu. Ante omnia speramus, vitio verti non posse Theologo, si ad conspectum assertionistam paradoxe sonantis hæreat, & quærat: Ubinam locorum id reperitur in S. literis? hoc enim eo magis justo facit titulo, quia illud argumentum ad religionem & interiores Theologiæ recessus pertinet. Hætenus autem, quod sciam, nil nisi ratiocinationes audaces observare licuit apud eos, quibus hoc dogma placet. Clarissimis verbis dicitur: *Nec optimum mundum imperfectionibus, malo, & vitio carere posse* * item: *nullo modo fieri posse, ut mundus existat, in quo nullum malum contingat, & frustra hic ad omnipotentiam Dei provocari.* ** In eundem censum & illa refero dicta: *Ignorantiam, errorem & malitiam in animalibus nostri similibus naturali se serie subsequi. Mundo igitur hanc speciem deesse non oportuisse. Fragilitatem, qua corruptioni sumus obnoxii, natura rerum consuetudinem esse, nisi forte velimus, hoc creaturæ genus, quod ratione præditum, carne & ossibus amictum est, a mundo abesse.* *** Applicemus jam ista ad singulos status mundi, in quo eum fuisse, existere, & exiturum esse novimus. Consideremus primo statum naturæ integræ. Quamdiu is duravit, nec vitiosa imperfectio, nec malum, nec peccatum in eo locum habuit, quod ostendit, non ex naturali serie eadem fluxisse, nec naturæ rerum fuisse consuetudinem, sed fructus malos creaturarum intelligentium libere a Deo deficientium, totamque naturam secum copu-

D 2

latam

* V. Cogit. Rat. de mundo, anima & Deo p. 574.

** p. 577. *** V. Tentam. Theodic. p. 196.

latam, teste Scriptura, in corruptionem maledictionemque præcipitantium. Secus si statuatur, una certe litura tota nostra Theologia de statu integritatis delebitur, quod jure ac legitime fieri, solidis prius argumentis probandum est. Enimvero confidimus, nihil ab hujusmodi demonstrationibus esse metuendum, maxime si nullum aliud fundamentum habeant, quàm simplices illas conjecturas de multis incendiis, diluviis, & inordinationibus, quæ antegressæ sint, * donec globus mundi talis evaserit, qualis in Historia creationis a Mose describitur. ** Interim ex his liquet, quorsum hæc paradoxa

* Sunt quidam Scriptores mystici, qui docent, non tam institutionem sive creationem primam mundi in tribus Geneseos capitibus prioribus describi, quàm illius restitutionem ex lapsu angelico: de qua re profunda & mirifice connectæ cogitationes passim apud eos reperiuntur. Sed ex his fontibus sua non solebat derivare LEIBNITIUS: Nec is ad reparationem mundi suas philosophationes refert, sed ad primam illius originem. Quamvis nec de priori illa hypothese Q. Q. Mysticorum hic placeat disputare.

** Opus hic est propria *Autoris Theodic.* verba describere: Id quod, ait, in globi nostri cortice reperimus, ingentium quarundam conversionum effectus esse videtur. Verisimile est, hunc globum aliquando prorsus ignitum fuisse, & rupes, quæ hujus terræ corticis basin constituunt, esse scorias post magnam aliquam fusionem relictas. In earum visceribus reperiuntur metallorum & mineralium genimina persimilia iis, quæ nostræ fornaces proferunt: Mare vero integrum genus quoddam olei per deliquium esse posset, uti oleum tartari in locis humidis nascitur: postquam enim terræ superficies a magna deflagratione refrigerat, humor, quem ignis in aërem expulerat, in terram relapsus superficiem ejus eluit & dissolvit, imbibitque salem fixum in cineribus residentem, ac denique magnum illud superficiem globi nostri cavum implevit, ut Oceanum aqua salta plenum exhiberet. Sed post ignem nihilo minorem a terra & aqua illatam esse vastitatem, judicandum est. Fortasse crusta per refrigerationem efformata, quæ sub se magnas cavitates habebat, collapsa est, ut nonnisi in rudibus habitemus, prout inter alios Thomas Burnet egregie animadvertit. Tum deinde plura diluvia atque inundationes dejecerunt diversa sedimenta, quorum vestigia & reliquæ reperiuntur, certo argumento, mare aliquando fuisse in locis hodiernum a mari remotissimis. Sed hæc conversionis finem habuere denique, & globus eam, quam nunc cernimus, faciem induit. Ingentes hæc mutationes paucis verbis insinuavit Moses. Separatio luminis a tenebris indicat fusionem ab igne factam: Separatio humidi a secco (maris ab arida) inundationum effectus denorat. Quis vero non videt has inordinationes rebus ad statum, in quo nunc sunt, adducendis profuisse, his divitiis, his commodis nostra deberi, harum ope denique globum hunc culturæ patientem evasisse? Hæc inordinationes ordine processerunt. *Tent. Theodic. p. 269. seq.* Hæc scilicet est creationis mundi Historia, qualem Moses intendit in Genesi describere. Certe ad talia sibi persuadendum

paradoxa tendant, quodsi semel tanquam solida & irrefragabilia fuerint admissa. Quod obijcitur de limitatione creaturæ intelligentis, ea labilitatem ejus secum tulit, idque imperfectio est, sed non vitium, non malum, non peccatum; imo vero ex intentione Dei & secundum ideam illius de mundo optimo hæc labilitas a vitio & peccato æternum debuerat manere disjuncta & separata. Corpus primi hominis aut statum naturæ corporeæ reliquæ pro illo tempore quod attinet, qui de eo loquitur secundum ideas, quas præsens illius corruptio & mortalitas suppeditat, vel negat divinam excellentemque totius mundi corporei in statu integro harmoniam & con-temperationem, is toti Scripturæ in os obloquitur, & cum pessimis inter omnes Christianos Doctores in enervandis veritatibus gravissimis & plane necessariis infelicem & noxiam præstat operam, & gravem aliquando rationem de immaturis hujusmodi conjecturis, datoque malo & seductorio exemplo, reddere Deo tenebitur. Quodsi porro ad statum corruptionis & maledictionem mundi spiritualis & corporei oculos convertamus, qui peccatum secutus est, ipsa equidem veritas manifesta fateri nos cogit, opus divinum in hoc mundi statu reipsa conjunctum esse cum vitio & peccato: sed districte negamus, mundum accedente vitio & peccato mansisse optimum, quin vitium & peccatum fuisse conditionem, sine qua mundus optimus non esset. Demonstramus contrarium ex illis ipsis requisitis, vel descriptionibus mundi optimi, quæ hic debent esse posita extra controversiam, quia ex Autoribus ipsis dogmatis illius depromptæ sunt. Mundus tunc est optimus, quando exceptiones a regula tam sunt infrequentes, ut nexus & harmonia cum regula, quantum fieri potest, maxima retineatur. Annon autem multas myriades exceptionum infelicissimarum a regula Creatoris introduxit peccatum? & si vel immane quantum pauciores essent, diceremus confidenter, illum statum adhuc meliorem & perfectiorem esse, in quo nulla plane exceptio vitiosa deprehenditur. Talem Deus intendit, cum mundum concederet optimum. Talis esse desiit, postquam mali angeli & homines a regula ista se petulanter exceperunt. Deinde optimum consistit in collectione omnium earum perfectionum & realitatum cujuscunque generis, quas ex intentione Dei creaturis ejus inesse, earumque felicitatem promovere oportuerat. *

D 3

Vitium

dendum non scientia & demonstratione, sed credulitate magna opus est, quæ sæpe magna etiam ingenia non carent, maxime, ubi de adamantis hypothesebus agitur.

* Cogitat. Rat. de Deo, mundo & anima p. 535. die beste Welt ist / darinnen die größte Vollkommenheiten anzureffen.

Vitium autem & peccatum has perfectiones & realitates non auget, sed minuit ac destruit, earumque loco mala introducit in mundum innumera, quod, ut speramus, probatione non indiget. Porro status optimus sive perfectio mundi in harmonia partium omnium universi consistit, ita ut, quo major est hæc harmonia, eo major etiam in mundo reperitur perfectio.* Enimvero peccatum & vitium divinæ huic perfectæque harmoniæ, quam secundum voluntatem & ordinationem Creatoris in mundo esse decebat, tam belle concordat, quam aqua igni, pestis sanitati, luci denique tenebræ, & cælo infernus. Sententia igitur plena scandali est, cum dicitur: *Deum malo, quod absque suo vitio ex limitationibus creatura oriatur, tanquam medio ad bonum uti, efficereque, ut omnia in mundo per id eo pulchrius concordent, atque adeo major inde perfectio mundo accedat, quam ipsi extra mali existentiam alias obtigisset.* ** De vitio morali sive peccato in Sacris legimus literis, quod hominem a Deo separet, eumque hostem faciat sui Creatoris, quod creaturas ipsas subiciat vanitati atque maledictioni, quod cogat Deum integras generationes extremis ruinis involvere, quod efficiat, ut aliquando dixerit Deus, pœnitere se, quod hominem creaverit: *** ut alia plura huc pertinentia nunc taceamus. Hocce tantundem est, ac Deum per malum tanquam medium curare, ut omnia eo melius cohæreant, & mundi perfectiones augeantur? De malis physicis, (de quibus tamen nolumus multa hic disputare, quia partem principalem hujus difficultatis non efficiunt) similis prope ratio est. Sed pergimus arguere: Quicquid obstat plenitudini consiliorum Dei de creaturis suis, deque reddenda illis perfectione seu felicitate plena & consummata, ut nonnisi eo remoto sublatoque ad istam liceat pervenire, illud nulla ratione potest haberi conditio sine qua non mundi optimi, aut medium ejus perfectiones augendi. Talem autem vim habere peccatum vitiumque, non Scriptura modo clarissime tradit, sed ipsa etiam experientia luculentissime confirmat. Addimus & illud: Si tam arctus inter optimum mundum & malum nexus est, nihil certe obstare video, quin malum possit esse objectum voluntatis divinæ legitimum, non præcise, quâ malum est (hoc enim titulo ne fieri quidem potest, ut vel ipsi peccatores malum velint aut concupiscant, maxime juxta hypothesen, quas expendimus)

* Cogitat. Rat. de Deo, mundo & anima p. 393.

** *ibid.* p. 575. seq. num. priore; idem enim numerus bis ponitur.

*** Gen. VI. 6. *Ανθρωπογενής* hæc de Deo dici, non nescimus. Nec tamen vacua prorsus & inanis formula est, sed magnum quid & realissimum in Deo ipso designat.

dimus) sed sub ratione medii atque conditionis, cum ferè in modum, quo rigidissimi quique Prædestinatiani, imo etiam molliores, peccatum, non ut malum, sed ut ordinabile est ad bonum finem, divinæ voluntatis objectum esse sine scrupulo pronuntiant. - Hoc vero folium sicûs semper ut vanam excusationem periculosa doctrinæ obtentam cordati rejecerunt Theologi, imo nec ipsi illi, cum quibus nobis hîc res est, hujusmodi aliquid adoptare vel agnoscere ausi sunt. * Cùm autem per se certum sit, non sine specioso prætextu falsa aut suspecta dici solere a Viris ingeniosis, superest, ut audiamus, quare illi tantum momenti ponant in his meditationibus. *Scimus, inquit, per sepe malum esse causam boni, quod sine malo isto non obtingeret: imo sepe duo mala bonum ingens procurârunt. Et si fata volunt, bina venena juvant. Dici potest de Deo: Si mala sustulerat, non erat ille bonus; de Eva: Si non errâset, fecerat illa minus. O felix culpa, ita canit Ecclesia Romana in vigilia Paschalis, qua talem ac tantum meruit habere Redemptorem. Fuit autem hac culpa simul infelix, quòd tanta mala invexit, & felix, quòd tantum bonum elicit, sed nisi prævaluisset bonum malo, Deus eam non permisisset. Unde liquet, rerum seriem, in quam peccatum ingreditur, esse potuisse, imò reipsa fuisse meliorem alia serie peccati experte. ** Si illi, qui talia obijciunt, nihil aliud vellent, quàm prædicare magnifice directionem Dei gratiosam peccatum ejusque funestos eventus corrigentem & sanantem, hætenus videri possent sententiam communem, sed formulis inusitatis descriptam retinere. At apertum est, longe alia & plura hic quæri. Certe ex ea directione, quam hætenus statuerunt Theologi, nemo concluderet, ideam mundi optimi cum peccato & malo necessariò conjungi; nemo dixerit, fabulas Utopiis & Sevarambis non dissimiles esse, si quis possibilem sine peccato ærumnisque mundum imaginetur. Nemo dixerit, mala ista existere ideo debuisse. Nemo dixerit, cùm inter omnia id eligendum fuerit, quod effectum optimum simul & in summa præstabat, vitium autem hac rima irrepserit, utique Deum excludendo vitium nec perfecte bonum, nec perfecte sapientem futurum fuisse; cùm in opere perfectissimo malum morale physicumque reperiatur, inde judicandum esse, majus adhuc malum*

* Hinc consequitur, secundum Ill. Autorem Theodic. Deum velle antecedenter bonum, & consequenter optimum; non absolute velle malum physicum; nullo modo velle malum morale... Quamvis sepe accadat, ut peccatum possit instar medii esse ad obtinendum bonum aliquod &c. non ideo tamen divinæ voluntatis objectum sufficiens evadit, aut objectum legitimum voluntatis ullius create &c. p. 85. Recte hæc dicuntur, sed difficulter conciliantur cum reliquis, in quibus nos hærere professi sumus.

** *ibid.* p. 74. seq. 162. 266. & passim.

malum absque hac permissione nullatenus potuisse vitari, eo quod malorum maximum esset, Deum male eligere, id quod futurum erat, si aliter, quam elegit, elegisset. * Nos vero his omnibus durissime dictis hanc potissimum questionem opponimus: Quodnam igitur illud melius, illud optimum sit, quod per concomitantiam peccati mundo accesserit, quod Deus non potuisset, aut maluisset dare absque peccati via, cujus denique gratia per leges sapientiae optimum eligentis peccatum fuerat necessario permittendum? Nullum plane. Tacet Scriptura de hac utilitate peccati. Dicit illa quidem: *ubi peccatum abundavit, ibi superabundavisse gratiam.* ** Verum est, Filium Dei qua Salvatorem non fuisse venturum, absque peccato si fuisset. Sed hoc nulla ratione probat, melius haud fore, si homines non peccassent, vel, si hac specie gratiae medicinalis opus non fuisset. Praestantiam & efficaciam medicinae commendat Apostolus, non vero necessitatem vel utilitatem morbi propter praetentam rationem optimi inde consequentis. Quis enim nescit, melius esse semper bene valere, quam vel excellentissimis medicamentis restitui? Quis dubitat, longissime felicius esse ignorare morbos, quam sensum delicatorem valetudinis ex ἀντιπαραστάσει morborum posthac accipere? Vel optima medicina supponit statum eo infeliciorem, quo nobilius & efficacius pharmacum illi sanando adhibere opus est. Haec procul dubio ratio est, cur interrogantibus de specimine optimi ex peccato consequentis respondere cogantur: *se hoc sigillatim ostendere non posse*; & si urgeamus porro: unde ergo hac de re nobis constet? hoc unicum dicant: *id nos ab effectu judicare debere, quia Deus hunc ipsum mundum, qualis est, elegerit.* Utique, si nihil in hoc mundo esset, quam opus Dei, tuta & recta esset haec conclusio. Sed cum innumera vitia & peccata huic mundo per hostes Dei accesserint, recte negamus, Deum mundum cum peccato & vitio elegisse. Id nullibi Scriptura docet, nec potuisset docere, cum a vero sit alienum. Imo vero hoc πᾶσι φανερόν est, quod precario assumitur. Malum nullo respectu Deus eligere potest, sive solum, sive in nexu cum eo, quod bonum est, licet revera nullum nexum proprie loquendo cum bono malum, inprimis morale, habere possit, quamdiu vel umbram mali retinet, & aliunde potest evitari. Deum nec minus bonum eligere posse dicitur secundum istas hypotheseas: nedum malum ipsum. Permittere peccatum, eo sensu, qui Deo tribui potest, non tantundem est, atque peccatum eligere. Postquam malum contra intentionem & voluntatem Creatoris sapientissimi & optimi (putem,

* V. Theodic. p. 73. seq. p. 165. p. 167. p. 171.

** Rom. V, 20.

tem, id non tantum populariter & *ἀνύμω*, sed vere & accurate dici posse) in mundum introductum est, quem optimum, h. e. finibus suis convenientissimum creaverat, tantum abest, ut malo non obstante mundus hic optimus fuerit in oculis Dei, ut potius magna sui parte ex objecto delectationis & complacentiæ divinæ mutatus fuerit in objectum nausæ & indignationis, tolerantia & patientiæ Supremi Numinis. Quod denique spectat statum mundi futurum, eumque gloriosum, ad quem post abolitum peccatum & missos sub scabellum pedum Jesu Christi hostes universos, illos maxime, qui Principes fuerunt hujus mundi (vel solo hoc nomine haud optimi) iterum ele-
vabitur, ex illius quoque consideratione multa elici possunt argumenta, quæ ideæ mundi optimi cum peccato & vitio connexi prorsus sunt contraria. Modo enim vidimus, nec locum fore beatissimo huic statui, nisi peccato maloque prorsus extincto apud creaturas felices & beatas, in reliquis autem creaturis sua culpa infelicibus perfectissime sejuncto & separato a mundo beatorum & feliciū, secus atque in præsentē mundo non optimo antea factum fuerat. Ex hæcenus dictis patere arbitramur: etiam si omnes hos status mundi colligamus, omnesque rationes, quæ hic merentur considerari, subducamus, ne sic quidem melius aliquod vel optimum posse demonstrari, cujus gratia necessarium fuisset, peccatum etiam permissionis sapientis & optimæ titulo cum mundo optimo connectere. Similitudo veneni in contrarium allata nil probat. Venenum in se malum non est, sicut peccatum. Venenum recte temperatum, salva natura sua, potest physice in medicinam converti. Idem de peccato dicere nemo, ut confidimus, audebit. Eodem jure infernum ipsum, ejusque abominationes, cum mundo optimo quispiam copulabit, quo peccatum eò pertinere dici potest. Deus noster in tota collectione suarum perfectionum optimus est, quia nec *ἀποκρίσιμα* in luce sua ferre potest. Hinc jure credimus, nec illius opus, mundum optimum, tot tenebras infernales admittere, ut vel illarum occasione fieri possit optimus. Uno verbo: Eadem rationes, quæ probant, malum salva gloria, salva voluntate, salvis finibus Dei statui creaturarum bonarum & feliciū ejus permixtum manere ac durare nec posse, nec debere: demonstrant quoque, idem malum, nisi contra voluntatem Dei, nisi suspensis ejusdem finibus, hoc est, impeditis & frustratis, sive suspensio & impedito optimo, nec ad tempus existere & durare posse. Denique liceat nobis, aliàs haud gloriabundis, dicere, copiam rationum nos hic facere inopes. Plura jam non addimus. Id unum nunc superest, ut ex his omnibus tandem concludamus: Si Deus non ubique, maxime in actibus suis liberis, agat ex rationibus Unius optimi, si falsum sit, ex concomitantia peccati & vitii hoc universum fieri melius,
E
quàm

quàm esset sine peccato, nec illud verum esse, quod hæ rationes Deum necessitate morali sapientiæ suæ ad permissionem peccati determinaverint, utpote quod aliàs ex ista sententia per omnipotentiam suam fuisset impediturus. *

§. 9.

Similis & prope eadem est secunda ratio, unde a nonnullis derivatur ac defenditur permissio peccati malique omnis ex eo redundantis. Hæc est simplicitas atque uniformitas viarum Dei, & voluntatum ejus generalium, quibus tanquàm legibus eventus quoscunque morales & physicos complexus est. Quid hoc rei sit? docebimus verbis ipsius Autoris novi hujus Systematis, NIC. scilicet MALEBRANCHII, qui magnam inde apud consentientes gloriam, ingentem autem contemptum apud alios consecutus est. *Cùm, inquit, Deus teneatur agere semper modo se dignissimo per vias simplices, generales, constantes, & uniformes, uno verbo, convenientes idea causæ universalis infinite sapientis, decebat ipsum certas leges constituere in ordine gratiæ, ut eum in ordine nature fecisse supra ostendimus. Enimvero hæ leges propter simplicitatem suam necessario secum trahunt sequelas nobis molestas & adversarias: Sed tanti illæ non sunt, ut propterea leges istas suas mutare in magis compositas deceat; habent enim leges illæ simplices proportionem majorem sapientiæ & fecunditatis cum opere, quod producunt, quàm omnes aliæ, quæ eidem fini consequendo possunt adhiberi, quoniam Deus semper modo agit sapientissimo & perfectissimo.*

* Cùm in his controversiis de ratione Optimi sæpe occurrat observatio de creaturis, non ut singulæ sunt, sed in relatione ad totum universum considerandis, ea vero observatione per se verissima facile quis abuti hic possit, non indigna censemus, quæ cautelæ loco adhibeantur, verba P. POIRETI, dum ait: *Ces pretendus rapports à l'univers, dont la perfection doit exiger, que la creature manque, sont fictions ridicules. L'ame est faite pour Dieu, & non pour l'univers, & le sort & la constitution de l'ame ne se doit point tirer de ses rapports à l'univers, mais de ses rapports à Dieu, & les perfections de l'univers doivent aussi se tirer des rapports à Dieu, & non de certains pretendus manquemens, qui dussent arriver à l'ame, afin que l'univers fut parfait. Comme donc toute perfection & toute règle tant de l'ame, que de l'univers se doit fonder sur des rapports à Dieu, & que Dieu est uniforme, & non contraire à luy, il ne se peut, que ce, que la perfection de l'univers exige, soit contraire à ce, que la perfection de l'ame exige. Voilà une belle idée de la Sagesse de Dieu, s'imaginer, que Dieu fasse un ouvrage (le monde) à qui il donne pour perfection d'exiger, qu'il y ait des imperfections dans le plus excellent ouvrage de Dieu, qui est l'ame. Bon Dieu! que des chimères les gens d'Ecole savent inventer. V. l'Oecon. Div. T. II. Ch. XVI. p. 457.*

mo. Posset utique Deus mederi sequelis his molestis per innumeras voluntates particulares. Sed has ordo repudiat. Effectus ex earum unaquavis redundans non esset opera pretium, actione divina, qua eum produceret, satis dignum. * Ex hoc principio generali, ut multa alia confectaria, sic & illæ conclusiones deducuntur: cognosci hinc posse, cur tot mala sine Dei culpa contingant? cur non omnes homines gratiam eos convertentem accipiant? cur non omnes ac singuli salventur? Omnia hæc potuisse vitari, nisi Deus simplicitatem viarum suarum, & sapientiam, quæ illarum principium est, magis amaret, quam cetera omnia. De hoc Systemate honorifice paucis exceptis judicat Illustris Theodicaa Autor: dicit enim: excellentem LL. de Inquis. verit. Autorem a Philosophia gradum facientem ad Theologiam denique tractatum insignem edidisse de natura & gratia, in quo more suo ostenderit, eventus e legum generalium executione procedentes non esse objecta voluntatis alicujus divine particularis. Equidem, pergit, qui vult rem aliquam, vult etiam quodammodo omnia illi rei necessario annexa, & consequenter Deus leges naturales velle nequit, quin etiam quodammodo velit omnes particulares effectus inde necessario pullulatos. Semper tamen verum manet, effectus illos particulares propter se suiue gratia non intendi, & hoc ipsum significatur, dum dicitur, eos voluntate particulari & directa non intendi. Denique post multa alia hanc in rem prolata sic concludit: Censeo itaque, Deum sequi posse ideam simplicem, fecundam, regularem: sed non arbitror, eam, qua optima maximeque regularis est, simul esse semper creaturis omnibus commodissimam, & hoc a posteriori sive effectu colligo, quia illa, quam Deus elegit, talis non est. ** Non tamen desunt Viri alii doctissimi, quorum sententia mirum quantum discrepat ab elogiis, quæ modo vidimus. PETRUS JURIÆUS, Vir magni ingenii, in celebri li-

E 2

bro

* *Traité de la N. & de la Grace* p. 53. seqq. Conf. l' *Eclaircissement*, ou la suite de ce *Traité*, ubi Autor explicat, quid per voluntates generales & particulares intelligat, ac deinde signa exhibet, unde dignosci possit, num effectus aliquis voluntatem aliquam generalem aut particularem pro causa habeat? e. g. si effectus immediate producatur post actionem causæ occasionalis, si causa singularem finem sibi non proposuerit, si effectus sit contrarius aut inutilis intentioni agentis, si effectus sint frequentes ac communes, & relationem habeant cum fine principali causæ universalis. Je dis, sunt illius verba vernacula, que Dieu agit par des volontes generales, lorsqu' il agit en consequence des loix generales, qu' il a etablies. Je dis au contraire, que Dieu agit par des volontez particulieres, lorsque l' efficace de sa volonté n' est point determinée par quelque loi generale à produire quelque effet. l. c. p. 3. seqq.

** *Tentam. Theod.* p. 240. seqq. p. 247.

bro, quem CLAUDII PAJONII hypothefibus oppofuit, ea occasione hæc de MALEBRANCHII Systemate pronuntiat: *Potest dici veriffime, vix luculentius dari exemplum, quid valeat amor proprius, & idololatrica imaginationum fuarum veneratio, quàm illud eſt, quo Philoſophus iſte novis ſuis cogitationibus adhaeret.* * Acutiſſimi POIRETI ſententia eſt, ad bene capiendum veritatem neceſſe eſſe, ut vel avertamus, vel purgemus mentem noſtram multitudine iſta chimararum, quas novi quidam philoſophi finxerint vias Dei ea methodo explicantes, que tandem in neceſſitatem perditionis plurimorum deſinat, hæcque omnia tam tenebricoſe eſſe ab iis propoſita, ut optime faciant, qui loco opere vane hoc chaos illuſtrandi illud prorsus abjiciant. ** Nec minus Celeb. Jenenſium Theologus JOH. FRANC. BUDDEUS, ſuis ſe ſubtilitatibus involviſſe Malebranchium exiſtimat. Noſter autem Cancellarius Magnificus PFAFFIUS cenſet, ea, qua ad nodos hic occurrentes diſſolvendos excogitaverit preſantiſſimus Gallorum Philoſophus, P. M. eſſe vaſtiſſimum Viri ingenium oſtendant, tam fanaticam tamen eſſe, ut attendi vix mereantur. *** Nollemus autem ad has ſimilesque, licet non exigui ponderis, autoritates provocare, niſi eas fulcirent rationes ampliſſimæ, quarum nonnullas jam producemus. Habere Deum cum in naturæ, tum in gratiæ ordine generales ſuas regulas, eaſque uniformes, ſibi ubique conſtantes, & ſummæ ſuæ ſapientiæ conformes, nemo ſanæ mentis unquam dubitavit. Si nihil aliud per voluntates ſuas generales intellexiſſet MALEBRANCHIUS, nihil fane dixiſſet, quod non ante ipſum dixerunt omnes alii, & quidem ipſo longe clariſus, ſimplicius, atque intelligibilius. Poſſet hoc ſenſu concedi largiſſime, nullam Deum circa eventus individuos habere voluntatem, qua non ſit veritatis alicujus vel voluntatis generalis conſectarium, huncque in modum nunquam illum habere voluntates particulares primitivas. At ille fingit hujusmodi regulas & voluntates generales, quæ prohibeant ſapientiam Dei reſpicere neceſſariam ſalutem, felicitatem, & regimen, ſive rationes agendi creaturarum ſingularum, & procurare, quantum in ipſo eſt, ut omnibus benè ſit, eo quod ad id opus eſſet voluntatibus particularibus, quæ eſſent nimis compoſitæ, & præjudicaret bono ordini, felicitatiſque totius univerſi; fingit, uno verbo, hujusmodi voluntates generales, quæ Deum impediunt, quo minus ad fines ſuos aliàs deſideratiſſimos, & ſuppoſita voluntate Dei creaturas extra ſeipſum produ-
cendi,

* *Traité de la Nat. & de la Grace* p. 153. & 160.

** *Oeconom. Div. I. Vll. p. 3. 4.*

*** *Diſſertat. I. de Præjudiciis Theolog. p. 53. lit. I.*

cendi, conservandi, gubernandique indispensabiles pervenire possit. * Hic sensus sanæ Theologiæ repugnat, deinde nihil clarius, nihil frequentius nobis in S. literis proponitur, quàm providentia Dei specialis, imo particularissima, directa ad creaturas suas singulas¹, cum regulis quidem generalibus viarum illius pulcherrime conspirans, sed tamen particulares causas & fines ubique ita includens, ut proxima & directa causa non ex rationibus aut necessitatibus universi, sed ex statu, indigentia, vel dispositione rerum singularium peti debeat, Nec alia via vim hujusmodi testimoniorum effugere potuit MALEBRANCHIUS, quàm ut affectatissime diceret, *Scripturam omnium usibus datam esse, hincque anthropologiis scatere. Hujusmodi voluntates particulares eo sensu Deo ibi tribui, quo ipsi corporea membra, affectus &c. adscribantur &c.* ** quæ omnia utique precario, atque unice ad redimendam vexam dicuntur, ac præterea incommoda secum vehunt gravissima. Nos vero, præcis multis aliis rationibus, speramus tamen elegisse haud debilissimas, si dicamus, eum qui negat providentiam specialem cum gratiosam, tum iratam, facile deinceps progredi ad enervandam vel tollendam providentiam generalem, *** & cogitandum, quicquid vel boni vel mali nobis obvenit, propter nos proprie & accurate loquendo non fieri, aut nobis obtingere,

E 3

atque

* Recte hoc absurdum MALEBRANCHIO objicit Poiretus, dum scribit: *Ils ont dit, que Dieu voulant executer son dessein (de sauver tous les hommes) par des voyes les plus simples, la simplicité de ces voyes-la ne permettoit pas, qu' ils le fussent tous. C' est à dire, que la bonté, la sagesse, & la simplicité de Dieu se contredisent, que sa charité est ou impuissante, ou folle & indiscrete: en un mot, que les attributs de Dieu sont mal d' accord d' entre eux. l. c.* Vident autem omnes, hoc tantum prætendi, ordinem universalem gratiæ non obstare posse felicitati creaturarum particularium necessariæ, a Deo ipsis omnibus destinatæ, quamvis propter commoda non necessaria, & accessoria creaturis, quæ illæ vellent hoc prætextu prætere, Deoque quasi leges arbitrarias præscribere, ordini suo generali derogare semper cum non deceat.

** Tr. de la N. & de la Grace p. 77. seqq.

*** Ne quis in pia fraude præsidium nos quærere suspicetur, declarandum esse censemus, per providentiam specialem nos intelligere respectum Dei gratiosum & iratum, cumque proximum & immediatum, ad actiones liberas hominum, & quicquid in ipsa etiam naturæ nexum cum iis habet, quem sibi omnino Deus non obstantibus regulis generalibus ordineque sapientissime constituto totius naturæ spiritualis & corporeæ non potuit non reservare. Scimus, quas difficultates hic quarant & exaggerent, qui hic dissentiunt. Sed illas umbras esse existimamus præ absurdis, quæ inde consequuntur, si hoc principium reser-
tè magnum tollatur.

atque adeo nec gratitudine speciali, nec timore singulari opus esse* nec minus tentari ad teporem aut frigus in precibus & officiis illis omnibus, quæ speciales rationes singulorum erga Deum exercere jubent. ** Porro, si diu multumque nos fatigaverimus æquivocis his & vagis notionibus de viis simplicibus, uniformibus, & generalibus, & præclarissime nos de sapientia divina meritos esse putemus, credendum tandem nobis superest, velle utique Deum omnes salvare homines, nisi obstarat simplicitas viarum suarum: velle, nisi generales ejus voluntates necessario secum traherent sequelas plerorumque; hominum saluti obstantes: velle, nisi magis amaret seipsum, quam homines. Qualis Theologia hæc est! Quam parum simplex & uniformis est! Nec illud hic omittendum, inverecundum procul dubio & audax esse facinus, vias & regulas divinæ Providentiæ circumscribere & limitare secundum imperfectissimas illas ideas, quas nos homunciones ex insufficientissimis particulis nostræ de iis notitiæ formamus, & non aliter de iis loqui, ac si consiliis Dei interfuissemus ipsi, & plene nobis esset perspectum, quid possit? quid non possit? quid in omnibus sapientiæ divinæ conveniat? quid non conveniat? Ab hoc certe vitio sibi

* Nolumus hæc odiose exagitare: supponimus tamen, magnam partem providentiæ specialis, quæ maximum Dei opus est, minus venerabilem, minus amabilem, minus terribilem esse, si credant homines, mala omnia, ad minimum physica, quæ ipsis contingunt, in ordine naturæ evenire, imò eventura esse, etiam si nihil mali committerent: interim eventura etiam sine peccato speciali aliquomodo cum illa periodo connecti, in quaplus quam sæpe merentur homines incommoda & damna, quibus per justitiam hanc congruam (putem hic parallelismum institui posse inter gratias & pœnas congruas) premuntur.

** Obsectio de precibus in Systemate mechanico partim, partim Prædestinatio, inutribus sæpe mota, sæpe repulsa, sæpe renovata, sæpe in materiam æquivocationis affectatæ conversa est. Si de precibus, ut parte automati, quæstio sit, dici potest, earum exclusionem immerito imputari utriusque Systematis defensoribus. Ex nexu harum hypothesium, vel ex decreto, vel ex præstabilitatione, precos & reliqua ut hujusmodi media considerata sunt, quæ partem faciunt compositi infallibilis & immutabilis. Sciendum sc. precum importunitatem nil facere apud Deum, qui quid expediat melius nobis novit, nec nisi id, quod in universum magis prodest, indulget. Interim ex serie dictorum a Systematis Prædestinatio defensoribus in hac causa patet, responsionem de Sophismate pigro ad solvendum ingens hoc dubium non sufficere. Omnia ista in Disputatione cum Theologis Prædestinatio pridem a Nostratibus discussa & ventilata sunt, unde mirum est, eos, qui hujusmodi objectiones tanquam robustas & magni momenti feraces repetunt, & approbant, responsiones solidas Theologorum nostrorum præterire, quasi eas vel nescirent, vel contemnerent: quam contumeliam illi, in hoc præsertim argumento, nequam merentur.

sibi satis religiose non cavent, qui post inspectas quasdam regulas generales & uniformes in rebus naturalibus & corporeis (quibus tamen eos proprio ex ingenio multa adjungere, admodum verisimile est) ordinem gratiæ & vias Dei circa creaturas suas intelligentes, liberas, moraliter agentes paucis quibusdam regulis prope mechanicis prætextu simplicitatis & uniformitatis adstringunt, quæ tamen partim confictæ sunt, partim non sufficiunt difficultatibus explicandis, partim etiam in jura liberrimæ, etsi sapientissimæ, potestatis divinæ involant. * Placent mihi quoque ista verba & principia doctissimi JURÆI: *Ingentem illum amorem viarum simplicium, qui Deo tribuitur, esse figmentum longe maximum; quasi vero compositæ plus negotii Deo facefferent, quàm simplices, Deo, cui non gravius est centum causas secundas in scenam producere, quàm unicam.* Addit idem, *sapientia divina perfectionem æstimandam non esse ex simplicitate mediæ, sed ex ratione finium, quibus si media & via simplices non sufficiant, ea ipsa de causa magis compositas & amplas esse adhibendas, imo, nisi eas adhiberet Deus, sapientiæ illius repugnaturum.* Non voluisse Deum in operibus suis solam manifestare sapientiam, quamvis nec illi multiplicitas simpliciter repugnet, sed etiam majestatem suam, summamque potestatem & magnitudinem. Et cui nescire licet, MALEBRANCHIUM ex his ipsis quoque hypothesibus, tanquam simplicius & uniformius derivasse Systema causarum occasionalium, quod docet, Deum solum agere & efficere omnia, creaturas nihil? attamen ab ipso *Autore Theod. Illustri* magnis & selectis rationibus meritò repudiatur. ** Denique injustum est, eam uniformitatem & paritatem viarum divinarum requirere, qualis locum haberet

* Magni principii loco hic urgetur nexus regni gratiæ cum regno naturæ, & analogia utriusque, imo paritas, quæ etiam ut vera admitti possunt, si recte intelligantur. Sed immanes paralogismi hic possunt se miscere, cum similitudo ista ultra limites legitimos extenditur. Pro certo potest affirmari, eum, qui prætere velle, eadem infallibilitate & immutabilitate eventuum procedere commercium Dei liberi cum creaturis liberis in naturæ & gratiæ ordine, quo procedunt inanimata, ratione & liberrate destituta, secundum leges motus & quietis, etiam si forte dici possit, in gradibus esse differentiam, distinctissima & plane disparata inexcusabili quadam ratione confundere, & quadrata aptare rotundis. Taceo, nos neque naturam nisi superficialissime intelligere, neque causas bonas & malignas, eam dirigentes, in mille casibus & phænomenis perspectas habere.

** *Tent. Theodic. p. 111. seq. & alibi passim. Conf. J. C. WOLFIUS in Manichæismo ante Manichæos p. 420. seqq.* Imo vero nolim prorsus contemnere eorum judicium, qui suspicantur, Systema Theodicæ facilius cum Systemate occasionali componi posse, atque Autori prioris agnoscere visum est, & longe facilius, quàm is Jesuita cum Dominicanis & Jansenistis conciliavit.

beret in statu concordii & harmonico creaturarum integrarum cum Deo, ubi haud permanent in uno necessario, in una via & ordine divino, in uniformi sibi que constante obsequio creaturæ Dei præcipuæ: sed eas per mille ambages deviationum, per incredibilia voluntatis rebellis obstacula, per innumeras multiplicitates & inconstantias, postremò per copiosissima & exquisitissima regni tenebrarum impedimenta pulsare, persequi, tolerare, quærere, cogere, trahere solet multiplex & incomprehensibilis Dei misericordia, & ea quidem *πλνπίπια*, titulo plane divinissimo infinitis prope renitentiis humani cordis opposita. Ad extremum testari decet, rationes Malebranchianas nobis prorsus non satisfecisse, ad quas solvendas nos offerimus, cum opus fuerit. Hic vero non licet nobis esse prolixioribus.

§. 10.

Tertia ratio, quæ Deum ad permittendum peccatum cum fructibus ejus impulsisse dicitur, in eo fundatur, quod nonnisi per miracula perpetua illud posset impediri, quæ tamen multiplicare divina non patitur sapientia. Sic passim ad hoc dubium respondent Theologi. Idem tradit *Ill. Autor Theodiceæ*, & qui cum eo sentiunt, sed ex diversis non parum a prioribus principiis. Quodsi enim porro quærimus: cur sapientiæ divinæ repugnent tot miracula? ad novum plane & singulare Systema doctrinæ de miraculis illi se recipiunt. Statuunt enim: *omne id veri nominis miraculum esse, quod per rerum conditarum naturam explicari non potest.* Cum in mundo aliquo omnia modo naturali procedunt, tunc cum opus esse sapientiæ divinæ: quodsi vero omnia per miraculum ibi fierent, opus tantum illum divina futurum potentia, non sapientiæ. Hinc id universum, in quo pauca parcaque adsint miracula, majorem esse estimandum, quàm illud, in quo plura reperirentur. Inde etiam patere, minus virtutis divinæ requiri ad miracula, quàm ad eventus naturales. Unumquodvis miraculum totam seriem mundi mutaturum esse, nisi superveniente miraculo novo oborta confusio rursus tolleretur. Miracula nulla a Deo fieri, nisi in eo casu, quo per causas pure naturales finem sibi præfixum assequi nequeat: certum esse falsi miraculi signum, si vel natura vires, vel antiquius aut prius aliquod miraculum præstando effectui sufficerent &c. * Proferamus nunc dubia nostra, quæ super his meditationibus in mentem nobis venerunt. Ante omnia nimis laxo & generali sensu, (quamvis & in stricta nimis acceptione nonnunquam modum excedant,) miraculum videtur accipi, ac præter consuetudinem

* *Textam. Theodic. p. 271. seq. sive §. 284. seq. Cogit. de Deo, mundo & animâ p. 339. seqq. p. 376. seqq. p. 401. p. 564. seqq.*

tudinem, dùm omne id, quod ex viribus naturæ, siue, quod idem est, ex iis, quæ ad constitutionem essentia rerum in statu suo physico non pertinent, repeti non potest, continuo miraculum audit, & quidem proprie & philosophice dictum. Confusionem parit in docendo nimia hæc in rebus omnia definitionum variatio. At nollemus in terminis esse difficiles, si cetera essent paria, quia sapientis est vitare cùm λογισμαί ipfas, tùm earum quoque causas & occasiones superfluas. Deinde nescio an jure liceat affirmare, per plura miracula (maxime in sensu tam lato intellecta) malum & vitium omne potuisse aut posse a Deo impediri. Verisimile est, si res ita se haberet, in patrands istis miraculis Deum parcum & illiberalem haud fuisse se præstaturum. Legimus, etiam vera miracula & frequentia incredulitatem atque contumaciam hominum non semper expugnasse, easque urbes, in quibus maximam partem miraculorum suorum Filius Dei edidit, præ cæteris hunc increpasse, quod non respiciissent*, eumque ideo nullum in patria fecisse miraculum**, unde consequitur, non ex metu turbandi totum universum, sed propter incredulitatem hominum plura non contigisse. Tertio, si perfectior est mundus, in quo pauca sunt miracula, ille imperfectior, in quo plura reperiuntur, cogimur tandem dicere, illum mundum esse omnium perfectissimum, qui plane caret miraculis. Ad minimum id consecrarium sponte sua fluit ex ea hypothese, quod miracula naturam totam ex sapientissime & optime constituto ordine ad tempus depellant, *** usque adeo, ut novo semper miraculo opus sit, quod impediatur, ne confusio ista aut inordinatio perpetuo maneat. Annon sapientius & melius esset naturæ ordinem non

F

tur-

* Matth. XI. 20. seqq.

** Matth. XIII. 57. 58.

*** Vim hujus consequentiæ illi procul dubio intellexerunt, qui maluerunt inde concludere, nulla plane dari miracula. Horum cogitata verbis Celeb. doctissimique Jenensium Philosophi, JOH. JACOBI SYRBII, placet exprimere. *Præcipuum*, inquit, *quo pars nobis adversa nititur, fundamentum hoc est: Deum vi suæ perfectionis semper velle, quod est optimum, & cum leges naturæ statuerit semel, id indicio esse, eas esse optimas; Deum autem, siquid contra eas faceret, sibi met ipsi repugnaturum esse. Si autem nihil contra leges naturæ fiat, neque miracula fieri posse.* &c. *Instit. Philosophiæ primæ novæ & eclecticæ* p. 413. seqq. ubi data opera de miraculis disserit. Ut taceam, quæ l. c. de Spinolæ consequentiis verbis citatis subiungit. An declinari possit periculosum hoc consecrarium, totique Scripturæ manifestissime contrarium, statuendo cum Ill. Autore Theodiceæ, ipsa etiam miracula ad voluntates Dei generales pertinere, non verò ad voluntates particulares, ut statuit Malebranchius? & an ista recte cohæreant? de eo nolim nunc operose disquirere, aut maturius aliorum judicium prævenire.

turbare, quàm se in eam necessitatem conjicere, ut turbata restituere oporteat? Nemo dicat, in hoc eventu prævalere rationem Optimi. *Verum est, rationales creaturas majoris esse pretii, sed vice versa priorum (nempe haud rationalium) longe major est numerus, potestque numeri quantitatisque proportio superare proportionem pretii & qualitatis.* * Non est homo tanti in oculis Dei, ut propter eum, si quidem secundum leges sapientiæ agere velit, totius universi perfectionem & ordinem vel ad momentum imminuere debeat. Probamus hoc verbis authenticis: *Certum quidem est, Deo pluris esse hominem, quàm leonem: nescio tamen, an asseri possit, toti leonum speciei hominem unicum a Deo anteponi* ** Atqui totum universum, & ordo illius sapienter constitutus adhuc magis præstat uno & altero homine, quàm integra unius animalis species. Quidni inde concluderemus, propter hominem, si principio supra posito standum sit, fieri non posse, ut ei tota natura, sive totum universum postponatur. Postponitur autem, si propter hominem in confusionem & inordinationem defletere cogitur. Nec illud (quæ quarta nostra observatio est) plane prætereundum esse censemus, quod ex novis illis hypothesebus magis adhuc crescere videntur, & multiplicari miracula, quàm in ordinaria sententia. Ubi enim hoc unum ponit, altera geminat. Scilicet quod hic augere coguntur miracula per nexum principiorum suorum, id aliunde iterum refarciunt, imminuendo, quantum possunt, aliorum miraculorum numerum, quæ tam copiose sacris in literis referuntur. Certe frigida hîc suffunditur depravatoribus Verbi divini, qui omnia propè Scripturæ miracula ex iisdem prope rationibus expunxerunt. *** Quinto magnopere

* Tentam. Theodic. p. 398.

** *ibid.* p. 154. §. 118. Ceterum hic casus in se chimæricus est, & nullius usus.

*** Fateor, me hanc causam sæpe, & si quid hujusmodi in seculo hoc suspicacissimo de se ipso confidenter dicere liceat, absque præjudicio considerasse. Fieri potest, ut de quibusdam exemplis providentiæ divinæ, quæ pro miraculosis haberi solent ex sententia plurimorum, alii mente haud mala, imo optima, dubitent, & modeste suas rationes dubitandi proponant, quod nemo moderatus ægre ferre potest ac debet. Veniam autem a difficilibus, suffragium a religiosis hominibus & sapientibus, ut puto, reportabit Theologus, qui post alios graves ac eruditos Viros nolit admittere (duriora verba non postulat persona, quam nunc induimus, quamvis summo jure possint adhiberi hoc loco) e. g. transitum Israëlitarum per mare rubrum miraculo caruisse, & per media naturalia processisse: columnam nubis & ignis nihil fuisse aliud quàm ignem sacrum in ara accensum interdiu denso suo fumo nubem obicientem, noctu autem clarissime elucentem: Radiantem vultum Moïsis fuisse rubo-

pere displicet in his hypothesibus, quod in illis exercitium miraculorum tam morosis & improbabilibus circumscribitur legibus. Ipsa quidem miraculorum natura & finis natus docet, usum ipsorum, strictioris maxime sensus & primi ordinis, haud nimis frequentem & ordinarium esse debere. Suppositio tamen ficta de perpetuis miraculis *συνεχόμενον* est, si enim hæc locum haberet, natura miraculum, & miraculum natura fieret.* Præterea nihil obstat, quo minus miracula, si Deo placuerit, & rationes id suadentes sæpius occurrant, longe frequentiora sint, quam sibi nonnulli persuadent. Miraculum reservatum majestati & omnipotentiae divinae opus est, quod liberum est Deo exercere. Miraculum opus est amoris divini, animas hominum aliis creaturis, ad minimum in mille casibus, præferentis: Miraculum opus divinae est sapientiae, quod casus necessitatis extraordinariae satis frequentes accuratissime discernit, & liberaliter seligit ab eventibus ordinariis. Miraculum, si certos fines divinos haud omnibus manifestandos, ex eo tamen latere, quod Deus patere voluit, intelligentibus vias Domini non prorsus occultos respiciamus, opus est nonnunquam frequens, sed sub larva eorum, quæ ordinaria sunt, mirifice occultatum, usque adeò, ut nullibi magis, quam in his, Mechanica, quæ fingitur, Providentia insufficiens & ambigua deprehendatur. Finis miraculorum non ultimus est, apud homines ignavos & stupidos, & maximorum Dei operum, cum ordinaria sunt, incuriosos sensum vividum excitare extra ordinem naturæ & gratiæ consuetum, dum ista lethargum & inertiam eorum superare amplius nequeunt. Finis miraculorum haud raro fuit

F 2

auto-

ruborem & calorem ignis instar ex devotionis ardore in fronte, ore, & oculis Moïsis ardentem & relucens: Mannam Israëlitis in deserto in cibum datam fuisse ordinis plane naturalis, & cibum in deserto illo ordinarium &c. Neque multiplicabimus in præsentia exempla textuum sacrorum, in quibus nostro tempore non levem petulantiam Scriptores famosi ostenderunt. Laudabilem contra in his ceterisque vindicandis præstiterunt Viri eximii, BUDDEUS, CALVOERIUS, DEYLINGIUS, MUNDENIUS, MARCKIUS, PONTANUS, & alii, quos præstat hic audire, quam inanes illos scepticos, qui falsam gloriolam in audacibus quærent dubitationibus.

- * Quemadmodum nonnulli sic omnia ad naturæ cursum & leges revocant, ut ægerime admittant miracula, nisi plane rarissima: Ita alii contrario excessu peccant, qui ex ipsa natura miraculum faciunt, quorsum e. g. pertinere existimo, quod JOH. BRAUNIUS, Theologus Batavus, *motum corporum maximum* dicat esse *miraculum*, statuatque, *omnia Dei opera esse miracula, etiam ea, quæ sunt secundum leges naturales* Doctr. Fæd. Vol. I. p. 269. 277. Forte res ipsa admitti potest, quam hi Scriptores intendunt. Interim abutuntur vocabulis, & promovent confusionem idearum Lectoris, quod plane fugiendum est.

autoritatem conciliare ministris Dei in missione ipsis demandata per effectus notabiles, speciosos, & stupendos, quo nomine iisdem etiam usus est Deus sapissime in exequendis suis judiciis, quæ, hoc fine seposito, per vias breviores ordinique naturæ propiores omnino potuissent exerceri. * Ut alias rationes complures taceamus, quæ nobis persuadent, causas istas raritatis tantæ miraculorum, quam nonnulli ultra modum necessariam faciunt, solido fundamento destitui, & lubrica prorsus signa esse, ex quibus vera & falsa miracula nos jubent dignoscere. Denique operæ pretium est monere: si quævis operationes supernaturales sint miracula: si quævis operationes Spiritus S. in anima sint miracula: si miracula paucissima locum inveniant in mundo optimo, consequens esse, in regno gratiæ tam paucas admittendas esse Sancti Spiritus operationes, ac quidem fieri possit, quia alias æque immutarent ac destruerent ordinem automati spiritualis, ac miracula in corporibus id incommodi ratione automati mundi materialis secum ferunt. Quàm infelix Theologia inde redundat, quàm ignara viarum & ordinis divini in rebus spiritualibus! Confidenter dici potest, eos, qui sic disputant, nec naturæ, nec gratiæ indolem ac limites legitime perspectos habere. Ex hypothesi aliena loquimur, de reliquo existimantes, illegitime ex ordinariis Spiritus S. operationibus miracula exsculpi, cum illæ omnino leges perpetuas & ordinem suum uniformem habeant. ** Viderint itaque, qui contrarium sentiunt, ad quæ paradoxa Theologica illorum hypotheses eos redigant. Dicent forte, frustra hæc pro absurdis haberi, quæ fluunt ex principiis mathematice demonstratis. Nos vero argumentum invertimus, ac dicimus confidenter, vera

* Possunt ad hunc scopum applicari verba GUIL. SHERLOCKI, quibus negat, tunc solum miracula Deum patrare, cum naturales causæ non sufficiunt. *Ce seroit faire tort à la sagesse supreme de dire, que Dieu a operé des merveilles en Egypte, parceque sans cela il ne lui auroit pas été possible de punir les Egyptiens, & de delivrer son peuple . . . Dieu peut faire tout ce, qui lui plait, par la seule direction des causes phisiques & morales, & par consequent il employe le ministère des miracles, non point pour supleer au defaut des puissances naturelles, mais afin d'affermir l'autorité de ses messagers & de ses prophetes, & afin de donner des témoignages éclatans du pouvoir de sa providence. Tr. de la Provid. Ch. IIX. p. 372. seq. Conf. Vir Doctiss. SAL. DEYLINGIUS in Observ. Sacr. P. II. p. 189. seq. omnino.*

** Donatio Spiritus, verba hæc sunt GUIL. KINGII, & per Christum impetratio, opus erat potentiæ divinæ maxime miraculosum, operationes autem ejus, cum non minus ordinate & constanter secundum leges & ordinem præscriptum jam fiant, quàm opera naturæ, non magis pro miraculo habendæ sunt. Tr. de Origine malis p. 230. Vid. & seq.

vera non esse principia, quæ tandem ad periculosa & lubrica hujusmodi con-
sectaria recta via nos reducant. * Sed hæc in præsentia sufficiant.

§. II.

Sunt quarto, qui imminuere conantur scandala extantia permittente
Deo vitii & peccati, considerando exilem illam particulam, quam homines
in toto universo habeant, efficiantque, respectu immensæ multitudinis alia-
rum creaturarum felicitum in aliis partibus universi. Hunc in finem provo-
cat *Ill. Autor Theodiceæ* ad innumeros in universo globos nostro æquales, aut
majores, qui æquale jus habeant incolas rationales continendi, quamvis ho-
mines esse, necesse non sit. *Fieri posse, ait, ut stella fixæ omnes, quæ totidem
Soles sint, a solis creaturis beatis incolantur, immensum illud spatium, quod to-
tam regionem aspectabilem ambit, felicitate gloriaque repletum esse posse, Occa-
nique instar haberi, ad quem omnium beatarum creaturarum flumina revertan-
tur, ubi in sidereo Systemate ad perfectionem suam pervenerint.* Ex his præ-
missis sequentem elicit conclusionem: *Quantilla jam globi nostri ejusque inco-
larum æstimatio fiet? annon longe minor habebitur puncto physico, cum terra no-
stra vel ad distantiam quarundam fixarum instar puncti se habeat. Itaque
cum magnitudo portiones universi nobis propius cogniti in nihilum fere abeat, si
cum eo, quod nobis ignotum est, quodque ratio nos jubet admittere, conferatur,
cumque mala, quæ nobis obijci possunt, in hoc quasi Nihilo concludantur univer-
sa, fieri potest, ut mala omnia nihil sint aliud, quàm nihilum quoddam compa-
ratione bonorum omnium, quæ continentur universo.** Cetera sæpe queritur
laud. Autor de iis, qui existiment, omnia unice hominis gratia esse condita.
Rigide verum non esse ait, ea, quæ Deus cum creaturis felicitatis capacibus
communicat, beneficia ad illarum felicitatem unice tendere. Habere Deum
plures in consiliis suis scopos, quorum unus sit creaturarum omnium felicitas, sed
illam non totum, imo ne ultimum quidem scopum constituere. Hinc aliquarum
ex his Creaturarum infelicitatem concomitanter accidere posse, & tanquam ma-
jorum bonorum sequelam***, absolum esse sic loqui de Deo, quasi se totum huic*

F 3

negotio

* In desiderio per se justo tollendi difficultates veritati accuratius cognoscendæ
obstantes cavendum est, ne loco unius difficultatis, ejusque obsoletæ & con-
temptæ, decem alias novas excitemus, & veritates turbemus bene stabilitas.
Maxime verò incongruens est ad levandas quasdam difficultates Philosophi-
cas, Physicas, aut Mathematicas ad ea se conferre principia, unde Theologiæ
& religioni periculosa & magna dubia exoriuntur & inferuntur.

** *V. Tentam. Theodic. p. 81. seq. Conf. p. 398. seq.*

*** *Ibid. p. 155.*

negotio debeat. * Dices, inquit porro, matrem, tutorem, aut moderatorem induci, quorum cura fere unica adolescentis cujusdam educationem, conservationem, felicitatemque spectet, & qui officii sui partes negligant... Si Deus nihil quam creaturas illas rationales spectasset, impediret utique, ne pessimi irent. ** Plurimum hæc omnia in recessu habere videntur. Nos rationes nostras, cur de quàm plurimis eorum dubitandum esse censeamus, cordate indicabimus. Video, parùm abesse, quin revocemur ad mysteria Præadamitica, aut alia istis similia, eaque nobis restituantur a sapientia nostri temporis, ut magnæ & arduæ veritates, quæ ab eruditis priorum temporum tanquam absurda & inania commenta diffolata fuerant, & exhibilata. Ridebantur olim, qui audebant conjicere, & lunam (&c.) suos incolas instar orbis nostri habere, ut ex controversiarum Cartesianarum Historia notum est. Hodie autem, verbis equidem timidis in speciem, sed animo reipsa præfidenti, sententia hujusmodi ejus virtutis esse censetur, ut non exiguum pondus ad tuendam Providentiæ divinæ gloriam & sanctitatem conferre credatur. Hujus generis phases controversiarum hodie frequentes sunt, sed parum felici cum augurio conjunctæ, quod pro veritate solida, veræque sapientiæ incrementis inde capere queamus. Quicquid horum sit, ad minimum constat ex historia dogmatum, Theologos *** ejusmodi conjecturis non ex inani curiositate, vel pruritu dominandi, sed ex reverentia Scripturæ S. graviumque veritatum, quibus non admodum apte coherere videbantur, contradixisse. Speciminis gratia seligo ex multis meditationes HERMANNI WITSII. Imo vero, inquit, non pauca in Scriptura sunt, quæ lunatica illi imaginationi adversentur. Moses tam distincte consilium Dei de condendo homine edisserens, satis ostendit, nullum simile animal in universo tunc fuisse. Quorsum enim Deus introduceretur dicens: Faciamus hominem &c. si fortasse ante biduum lunam, solemve, vel cetera etiam astra hominibus instruxisset? Accedit, quod Jesaias terra speciatim id adscribat, quod non ad inanitatem creata, sed ad inhabitandum formata sit. Jes. XLV. 18. Paulus etiam, dum totam gentem hominum ex uno sanguine factam pradicat, ut habitaret super universa superficie terra. Act. XVII. 26. aliam gentem hominum, aliunde ortam, & in superficie luna habitantem

* Tentam. Theodic. p. 164.

** Ibid. p. 159. Conf. Causa Dei asserta §. 57. seq. p. 15.

*** Scio, hanc speciem apologiæ multis hodie in antecessum suspectam esse. Scio, Theologos fabulam esse seculi nostri moderni: Scio, Theologos non esse infallibiles. Scio, neminem minus quàm Theologos prætere de posse ac debere, ut ipsis credatur propter se ipsos. Sed infictus & absurdus mos est nostræ ætatis, ut punctum honoris quærat in incredulitate Theologis, sæpe sine iudicio, sine soliditate opposita, &c.

tem non agnoscit. Suffragatur quoque ratio. Si enim in luna aliisque stellis homines extarent, eos vel in primæva integritate sua remansisse, uti angeli boni, vel in peccatum lapsos esse, uti nos, necesse est. Neutrum enim horum in Scripturis reticere debuisse videtur, præsertim cum tot illius rei memoranda occasiones suppeterent. Sive enim exaggerandum peccatum nostrumerat, sive predicanda divina erga nos clementia immensitas, sive exponenda beati illius consortii amplitudo, quo gavisuri in cælis sumus, opera pretium erat, tot ex alio orbe myriadum Sanctorum vel verbulo meminisse, imprimis cum in hoc argumento frequens angelorum mentio fiat, qui tamen non minus, quam isti homines, alterius orbis incolæ sunt, & quorum negotia nos minus tangere videntur, quam aliorum, qui ejusdem nobiscum sunt speciei &c. * Certe de hisce rationibus Theologorum statui posse arbitror, quod ad minimum probabilitate æquent rationes alterius sententiæ, vel etiam, si hujusmodi æqualitatem dari non posse, dicatur, superent. Sed ponamus, plus esse in illis divinationibus verisimilitudinis, quam vulgo creditur, ponamus, malum, de quo murmuratores tanto queruntur opere, huic tantum mundo, atque adeo tantillæ portioni inesse universi, cetera immensa spatia hoc vitio carere, aliquid contra eos præstitum videbimus, sed præcipua tamen difficultas hujus negotii nondum sublata erit. Quaritur: quo jure Deus integrum orbem nostrum in tot mala omnis generis delabi permiserit? Ad hanc quæstionem decidendam parum nobis proderit scire, aut divinare, quid fecerit aut faciat in reliquis universi partibus? In omnibus innocentem esse Deum, probandum est, aut nihil probavimus. Ne homines quidem pro excusatis haberi solent, etiamsi maximam officii sui partem præstiterint, cum in quibusdam aliis, iisque non contemnendis, partibus illud negligunt. *Quisquis totam legem servaverit, offenderit autem in uno, tenetur omnibus: *** Multo adhuc magis summa Dei requirit perfectio, ut non in quibusdam tantum, vel in parte majore, sed ut in omnibus extra omnis culpæ vel minimæ maculam atque suspicionem positus inveniatur. Nisi igitur aliunde constaret, Deum permittendo peccatum nihil fecisse, quod ipsi vitio verti posset, ille certe prætextus hujus rei invidiam haud averteret. Quod vero objicitur, eos, qui propter incommoda hominibus molesta reliqua non attendant bona, perperam queri de Deo, quasi is se totum uni homini debeat, omniaque solius hominis gratia condita sint, id ipsum auget potius dubium, quod solvendum fuerat ac tollendum. Præterquam enim,

* Exercit. VIII. in Symb. Apostol. §. LXXX. seqq.

** Jac. II. 10.

enim, quod nemo Theologorum dicat, * solius hominis gratia creata esse omnia, gravis certe suspicio sponte sua oboritur, eos, qui hunc in modum disputant, ita de Deo loqui, quasi multis equidem, sed non omnibus malis avertendis sufficeret, quasi necesse haberet magnam partem creaturarum suarum ruinæ & infelicibus fati permittere, ut reliquæ salvæ sint, quod utique nec ipsi temere admiserint. Ceterum mature expendendum, creaturarum intelligentium felicitatem non quidem unicam, sed magnam tamen, consiliorum divinatorum portionem existere. Illæ in hoc mundi avtomato tam nobilem partem constituunt, ut absque iis subsistere non potuisset, ** unde consequitur, his corruptis & vitiatis totum illud avtomatum pati & mutari, quod ipse etiam eventus tristissimus satis superque docuit, dùm lapsus angelicus & humanus integrum malorum infernum invexit in mundum spiritua-lem & corporeum, cujus vim plenam & infernaliter perfectam quod non experimur, non exilitati morbi, sed efficaciz medicinæ tribuendum, quia maledictionem istam ab ipso lapsus tempore perpetuo repetita sua benedictione & gratia Deus temperavit, & repressit. Nexus memorabilis creaturarum intelligentium cum mundo reliquo, quoad bonum & malum, transparet sapientibus ex dominio Protoplastis concessio, quod a multis jejune & frigide explicatur, quia gloriam primi hominis non intelligunt, a quibus me longe abire, & exiles hujusmodi de magnificentissimis Dei operibus conceptus fastidire, fateor. Et quid tandem illud est, quod occasione atque ex nexu peccati hominis *tota creatura servit vanitati? & expectare cogitur suam ἀπολύτωση usque ad tempus glorificationis & revelationis filiorum Dei?* *** Dolendum est, hoc mysterium, quod spiritualibus tantum hominibus, in ordine divino, & Spiritus S. disciplinæ obnoxio, competit, ad alienum & incompetens forum trahi, hincque non raro apud iudices non suos aut illegitimos causa cadere. Summa eorum, quæ Dei causa interest hoc loco dicere, huc

* Video in universum, hæc fata novissima Theologorum esse, ut eorum doctrinæ passim ab aliis, qui ipsis male cupiunt, aut jure quodam suo eorum sententias reliquisse videri volunt, primum pervertantur, deinde refutantur, & irrideantur. Hoc est (credo facile quosvis intelligere, cur hanc formulam adhibeam) *primo vitare, deinde strangulare*, secundum tenorem justitiæ Tiberianæ. Quamvis autem Ill. Autori Theodiciæ, ut in hoc vitium incideret, acre illius judicium, & singularis, qua pollebat, moderatio & prudentia non permiserit, revera tamen hoc loco mentem Theologorum non satis plene affectus esse videtur.

** Cogitat. rat. de Deo, mundo, & anima hominis p. 563.

*** Rom. II. 9. seqq.

huc redit : Quantumcunque & ratio totius universi, & incomprehensibilis nostræ imbecillitati amplitudo regni Dei nos suspensos teneat, post gloriam nominis divini (quam inutili subtilitate in dubium vocant nonnulli *σζηῖται* *) nihil Deo magis curæ cordique esse, quàm felicitatem singularem suarum creaturarum, maximè primi ordinis, eamque, si suum amorem, si suas decentias consulat, nihilque obstat ex parte ipsius creaturæ, universo toti, ut singulis, singulisque ut toti universo ex immensa & uberrima charitate sic destinari & dispensari, ut æque in minimis, uti in maximis, & vicissim, luculenter appareat, Deusque amabilis, quantum in supremo Numine est, sapiens, potens, cupidus felicitatis suarum creaturarum omnibus conscientiis demonstretur. Non latent nos tenebræ, quæ hanc veritatem obscurant. Sed tenebræ sunt.

§. 12.

Quinto ad minuendam permissionis divinæ invidiam excipitur, in huius quoque mundi rebus & personis plura fingi mala, quam revera sint, quod æque de moralibus, ac de physicis intelligunt. *At inquires, ait Ill. Autor Theodiceæ, mala sunt ingentia, magnoque nimis numero, sic cum bonis conferantur. Falleris. Incogitantia sola defectusque attentionis extenuat bona nostra. ** imo nec inter homines quidem tantum est mali & improbitatis, quantum passim dicitur. Soli homines indolis malignæ aut Misanthropi pravitatem ubique repertiunt,*

G

* Mirum est, graves etiam Viros serio in dubium vocare: an Deum deceat, aut Deo conveniat, quicquam agere propter gloriam suam? Nonne hæc totius Scripturæ vox est: *εἰς ἑπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ. Eph. I. 6.* Tota ratio manifestationis Numinis in se felicissimi & beatissimi est communicatio libera sui amoris & gratiæ, & intenta apud Creaturas nominis sui glorificatio, laudatio, exaltatio, non ad perfectionem Dei essentialem & intrinsecam, sed ad accessoriam ejus gloriam pertinens. Hæc Solis radiis in Verbo Dei scripta sunt. Et tamen audent esse contra hanc veritatem scrupulosi. Huic ambitionis videretur, suam querere gloriam, quod hic inanissimum est: Alteri Deo indignum apparet pro fine habere quicquam finiti & limitati, quæ ratio est sine ratione: neque enim alio modo comparatus esse potest condescensus Dei ad Creaturas suas. Tertius putat, quia hanc gloriam Deo subtrahere possint creaturæ, aliquid Dei felicitati & finibus decedendum, cum tamen in felicitate Dei, quæ intra essentialia Divinitatis querenda est, nihil possit decrescere, fines autem divinos non impleri a creatura libera, sed peccante & immorigera, absurdum equidem sit, sed prohdolor nimis certum & usitatum. Specialiora hic studio non allegamus. Liceat ista speciminibus annumerare, unde pateat, doctos homines tum continuo in lubrico titubare, quàm primum simplicitatem Scripturæ deserunt aut negligunt, quod hodie frequentissimum est.

** *Tentam. Theodic. p. 75.*

riunt, & optimas quasque actiones sinistris interpretationibus depravant.* Multo plus boni est in vita hominis, quam mali, ut multo plures sunt domus, quam ergastula. Quod virtutem vitiumque attinet, quaedam in vita regnat mediocritas. Notavit olim Machiavellus, paucos extare homines insigniter improbos, paucos eximie probos &c. ** Quis bonus, cum audit loquentes de tanta multitudine bonorum, non latetur, & cum Joabo, cetera non optimo, dicat: Addat Jehovah super populum suum, sicut bos, centenis vicibus? *** Cetera malum de his audire testimonium & judicium Dei ipsius, quam incertas praesumptiones ingenii humani sibi aliisque ex variis seductionibus nimis blandientis. De prima aetate mundi, quae tertiam partem durationis ejus absumsit, Sanctus pronuntiavit Spiritus, omnem carnem suas corrupisse vias, ideoque nonnisi octo animas in arca diluvium universale evasisse. **** Absurdum procul dubio diceret, & Spiritui S. obloqueretur, qui praterderet, inter homines illius temporis non fuisse plus improbitatis & vitii, quam virtutis, & solos Misanthropos pravitatem ubique illic reperisse. Quid de eo dicemus tempore, quo solus Abrahamus ejusque familia haud penitus corrupta legitur, memorabili testimonio in libro Josuae nobis ea de causa relicto? ***** Quid dicemus de magna illa periodo, in qua coactus est Deus dimittere gentes in viis suis usque ad tempora Evangelii? ***** In his aetatibus qui plures bonos, quam malos supponat extitisse, nesciret certe, quid dicat: Repugnaret is clarissimae literae verbi divini: teneretur porro asserere, causam illius dimissionis suspensionisque gratiae & revelationis ulterioris fuisse purum putum Dei beneplacitum, non vero actum justitiae necessariae erga homines ipsos majoris gratiae incapaces, eaque indignos: denique ostenderet, se non intelligere impedimenta regni Dei inter homines erigendi & glorificandi. Ipse populus Israel plerumque nonnisi propter vim foederis divini & promissiones PP. datas a Deo servatus est, cetera in plerisque membris suis rebellis, inconstans, & ambulans in semitis populorum, quos Deus ante illos e terra Canaan ejecit. Ut innumera alia Scripturae S. testimonia, quae hic convasari possent, taceamus. ***** Haec omnia quomodo conciliari possint

* Tentam. Theodic. p. 253. ** ibid. p. 191.

*** 1. Paralip. XXI. 3. **** Gen. VI. 11. 42. IIX. 21.

***** Jos. XXIV. 2. 3. ** ** Ps. CXLVII. 20. Act. XIV. 16.

*** ** * Aliqua tantum notabimus, V. Ps. XI V. Rom. III. Mich. VII. 1. 2. 3. 4. Matth. VII. 13, 14. XX. 16. Luc. XII. 8. 1. Petr. IV. 18. 1. Job. V. 19. &c.

possint cum tanta paucitate malorum, etiam eorum, qui ad damnationem maturi sunt, nulla ratione perspicimus. Speciem equidem rectæ intentionis habet ista numeri bonorum amplificatio, habet speciem charitatis & modestiæ, quoties privati de privatis sibi forte incognitis, aut non satis exploratis, nolunt sententiam ferre decretoriam, vel de iis inclementius judicare: sed malunt multa, imo pleraque hujus generis judicio Dei scrutatoris cordium relinquere. At non caret magni erroris periculo, si nostrum judicium cum Dei judicio confundimus, si absolvimus, quos ille damnat, si extenuamus, quod magnum est in oculis ejus; uno verbo, si malum, quod ille sapientissimis de causis & plane necessariis ut ingens, horrendum, latissimum in omnibus paginis Verbi sui describit, quæsitis prætextibus imminuimus. Imo vero hoc pertinet ad seductiones periculosissimas nostri temporis, quod homines leves, securi, justitiæ Dei ignari, se aliosque sui similes longissime meliores & regno Dei viciniore reputant, quàm revera sunt, qui si deinceps legant, vel audiant, *non esse inter homines tantum mali & improbitatis, quantum passim creditur: Misanthropos esse, qui pravitatem ubique reperiunt &c.* quid mirum, si quotidie crescat securitas, præsumptio, socordia, & summa introitus in regnum cælorum per viam regenerationis spiritualis & reliqui ordinis divini negligentia? Possemus multa eaque non inutilia monere de causis tantæ facilitatis, quæ hodie invalescit in absolvendis a mala nota hominibus, & concipienda spe supra spem de statu eorum spirituali. Sed nolumus jam ingratum sermonem eo usque promovere. Id unum notamus, laxa illa principia de sufficientia bonæ voluntatis & probitatis philosophicæ, quæ hodie in usu sunt, atque id genus alia, non parum conferre ad misericordem & noxiam illam credulitatem, quam modo reprehendimus. * Væ mundo scandalorum causâ!

§. 13.

Sexto ad eos accedimus, qui in illustratione majestatis & justitiæ divinæ apud eos, qui pereunt, causam permissionis peccati quærunt, hincque non quidem peccatum ipsum, at ejus tamen permissionem medium illius finis obtinendi constituunt. Hanc esse Reformatarum Ecclesiarum doctrinam

G 2

nam

* Conf. si placet, quæ eam in rem diximus in *H. Eccles. N. T. Tom. II. p. 975.* Dolendum est quam maxime, homines plerosque in re tanta non tam ipsius Dei sententiam, quam fraudes & fallacias proprii cordis consulere, quæ tamen non possunt non ipsos decipere, efficereque, ut in trutina divina ponderati leves deinceps inveniantur. *Mundus vult decipi.* Absit autem proverbialis conclusio, quæ sequitur in verbis: *E. decipiat.*

nam, nemo ignorat. Nec multis ad id demonstrandum testibus indigemus. Unus hic nobis sufficiet LEYDECKERUS, quem partim casu arripimus, partim cum iudicio seligimus ad scopum præsentem. Nos ergò, *inquit*, pie credimus, & sancte confitemur, Deum O. M. decrevisse, atque etiamnum velle peccatum seu malas actiones fieri, se in tempore permittente, creatura vero committente. Hinc bene figendus est status controversiæ. Quæritur enim, an Deus actu voluntatis suæ permissivæ velit peccatum fieri, ut medium, per quod gloriam suam declarare decrevit? sive an Deus decreverit, ut peccatum fiat se permittente, creatura vero committente? Ad hanc quæstionem respondet Ecclesia Reformata affirmando... Potuit saltem illud peccatum impedire, at noluit, sanctus qui est, & sapientissimus; non alio fine, quam ut divitias suæ gratiæ in mundi per Christum liberatione ostenderet... Neque absurdum est, Deum peccatum fieri velle, quatenus ordinabile est ad Dei gloriam; elicit enim lucem e tenebris.. profecto negari non potest, ipsam peccati permissionem esse medium gloriæ divini, adeoque per se & directe a Deo volitam, etiam qua illa posita sequitur peccati existentia; etenim est medium ostensivum iustitiæ punientis, & misericordiæ liberantis & condonantis, eumque in finem sapientissime & sanctissime a Deo intentum... Certe in peccato primo illiusve permissione ponebantur bases regni Dei iustè, potenter, sapienter, gratiosè gubernandi per omnia secula: & si hoc cum aliis peccatum nunquam in mundo fuisset, multa defuissent, per quæ Trinus Deus jam in generis humani restauratione glorificatur. Defuisset tota V. & N. Test. Oeconomia, incarnatio filii Dei, satisfactio, vocatio, iustificatio ex gratia, adoptio: ipsaque redemptorum Ecclesia, fides, pœnitentia, patientia, materiaque omnigena ostendendi gloriam iustitiæ, misericordiæ, longanimitatis, tolerantiae, omnipotentiae Ecclesiam liberantis, & hostes debellantis. Unde censemus, omnino peccatum Adami ordinabile ad bonum fuisse, & Deum sancte velle potuisse, ut illud committeretur se permittente. Et quidni jam de facto est volitum, per quod non per rimam (sic Augustinus) sed per januam mors intravit in mundum, & ex quo per Christum facta est liberatio? O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem! &c. Haftenus LEYDECKERUS.* Quidni per has demùm hypotheses perfectò & plenissimo sensu dici posset, ideam mundi perfectissimi cum peccato & vitio conjunctam esse, si veræ essent, aut probabiles? Enimvero tam solidis, tam concatenatis demonstrationibus contrarium evictum est

* V. hujus Theologi Ultrajectini celeberrimi *Veritatem Evangelicam triumphantem de erroribus quorumvis Seculorum* T. II. p. 225. seqq.

est per Theologos ab Ecclesiis Reformatis in hac causa dissentientes, ut in iisdem quàm lubentissime acquiescamus. Nec a nobis facile impetramus, ut huic typo doctrinæ communi præferamus viam singularem; quam & hic *Ilustri Theodiceæ Autori* inire & commendare placuit, dùm Theologos maxime Supralapsarios novis argumentis aggreditur, distinctionem vulgatam in voluntatem antecedentem & consequentem ita reformat, ut alium plane sensum obtineat, multa Reformatis concedit communi hætenus consensu in iis rejecta, ac denique oppositas quàm maxime sententias de gratia universali & particulari mirifico artificio sic conjungit & conciliat, ut tandem dicat se non mirari, Thomistas & Jesuitas, imo Molinistas etiam ac Jansenistas &c. in re ipsa magis hic inter se concordare, quàm putetur, imo se eo quodammodo (alibi confidentiùs loquitur) propendere asserat, *ut credat, controversiam adeo incensam de divina omnes homines salvandi voluntate (si a controversia altiore de auxiliis gratiæ eam secernamus) verborum potius, quàm verum esse.* Diximus primo, *Autorem Theodic.* novis argumentis aggredi Supralapsarios, quod tamen ipsi vitio verti non posset, dummodo essent solida. *Deum, ait, nihil sine ratione agere.* Sed nec id negant Supralapsarii, ut ipse de CALVINO aliisque acribus absoluti decreti defensoribus fatetur LEIBNITIUS, quamvis in hac eorum confessione nimis facile acquiescere videatur.* Porro advocat *magnam illam Rationem Unius Optimi*, quam tamen hoc modo in rem suam inflectere non sine magna specie possent Supralapsarii, ac dicere: rationem Optimi moraliter necessitare Deum ad hanc viam eligendam, etiam si hominum parti sit incommoda. Hominum felicitatem esse tantùm punctulum, imo Nihil respectu Dei: etiam si bonitati & justitiæ contrarium videatur permittere hanc infelicitatem, si in particulari consideretur, aliter tamen se rem istam habere ratione totius universi, & in collectione voluntatum omnium, a Deo perfecte bono tantùm felicitatis procurari creaturis suis, quantum rationes majores gloriæ suæ permiserint, quæ cùm obstiterint, Deum reprehendi non posse, quod cuidam infelicitati locum dederit, atque adeo peccatum permiserit. Necessitatem quidem aliquam peccati inde fluere, sed tantùm hypotheticam & moralem. Solis HOBBSII & SPINO-SÆ affectis exprobrandam esse libertatis & contingentiae destructionem, dùm putant, id, quod evenit, Geometrica brutaque necessitate evenire debere &c.** Scio, hæc ab Autore scripta non esse, ut Systema Supralapsarium defenderet:

G 3

expressis

* *Tent. Theodic. p. 219. & p. 334. l. §. 178. & 338.*

** *ibid. p. 359. §. 371.*

expressis enim & sæpe repetitis verbis id rejicit: Sed an per talia solidius refellantur Prædestinationorum principia, quàm per Nostrorum consuetas rationes? perito lectori considerandum relinquimus. De voluntate antecedente & consequente in hunc modum disputat, ut dicat, antecedentem vocari voluntatem, quando ab aliis avulsa est, & singula bona separatim respicit: voluntatem autem consequentem, finalem, & decretoriam ex omnium voluntatum antecedentium conflictu resultare. Priori modo Deum inclinationem habere omnes salvandi: posteriori voluntate nonnisi eos salvari velle, qui salvantur * imo vero, si, quod res est, dicere volumus, solam voluntatem consequentem pro voluntate Dei seria & perfecta agnoscere debet, neque enim fieri potest, ut Deus aliter quidquam velit, nisi consideratis omnibus, totaque rerum serie perspecta. Quodsi igitur haud alio sensu omnium salutem hominum velit Deus, quàm secundum voluntatem antecedentem, uti eam exigunt principia hujus Systematis, certe ad exiles, vel plane nullas ideas gravissima doctrina de seria, perfecta, & sincerissima voluntate salvandi omnes tandem redigeretur, & lector per vocabulum in speciem retentum delusus, nubem pro Junone, ut proverbio olim dicere solebant gentiles, loco rei umbram amplexabitur, nec minus gratia Dei universalis, uti a Scriptura, & ex ipsa a Theologis describi solet, ad ideas chimericas mundorum possibilium pertinebit: particularis vero regnabit in mundo optimo, & opus erit summæ & perfectissimæ Dei sapientiæ, quæ Theologia ad minimùm nostris in Ecclesiis hætenùs inaudita, & jam supra inter paradoxa Malebranchiana a nobis relata fuit. O quàm longe absunt hæc omnia a sensibus animæ Christianæ in exercitiis seriis & vividis scrutiniis ac meditationis Verbi divini occupatæ, cujus testimonium quævis alia de Deo ejusque amore immenso, perfecto, & efficaci in Christo JESU (quicquid sit de hominum resistantia, incredulitate, ingratitude atque durtie) eidem persuader! Sed & illud querimus, multas sententias & axiomata, quæ utramque in *Theodicaa* faciunt paginam, partim

* V. *Tentam. Theodic.* §. 22. 81. 114. 119. 222. quæ usque adeo non veremur conferre in judicio de hac causa gravissima, ut potius ea conferri postulemus. Cetera fatemur, alia loca de gratia universali, de seria Dei voluntate homines quoscunque salvandi, apud Illustrem hunc Autorem occurrere, quæ possint lectorem modestum suspensum tenere dubiumque, quomodo fieri potuerit, ut hæc simul assensum impetrarent. Quam seriò, quàm mature hic mihi videar disserere, facile tamen cedam, cedam lubentissimè, si hæc *ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ* a Viris gravibus & totius causæ religiosè gnaris dextre & verè possint conciliari. Qualibuscunque autem fucis, dissimulationibus, & nexibus Systematicis ut cedamus, gravissima utique argumenta hic nos prohibent,

tim Doctorum Particularistarum hypothefibus esse affinia, partim illis in præjudicium veritatis vel ad testimonium consensus, vel in pabulum æquivocationis, sine ullâ necessitate cedi. Huc sine scrupulo, quæ sequuntur, referri posse existimo: Rationem mundi optimi cum salute hominum omnium etiam ex Dei partibus consistere non posse: voluntatem divinam esse semper infrustrabilem. Prædeterminationem esse veram, dummodo non sit physice necessitans. Creaturas etiam intelligentes ultimato determinari, non per indifferentiam voluntatis eligentis, sed per statum præcedentem, qui illam ad hanc potius partem, quàm istam inclinât. Electionis causas nobis esse ignotas. Si Deus pœnam culpamque relinquat perituro, ad hujus sortem pertinuisse, antequam nasceretur: ipsum periturum ab æterno inter res possibiles in divinis ideis fuisse, tantumque superfuisse, ut per harmoniam rerum universalem ad existentiam decreto Dei posceretur. Auxilia gratiæ, quæ omnibus largiatur Deus, sufficientia quidem esse bonam voluntatem habentibus, sed non semper bonæ voluntati dandæ sufficere. Deum in gratiarum dispensatione rationibus equidem moveri, sed has rationes bonis vel minus malis hominum qualitatibus neutiquam prorsus esse affixas. Sapientem nunquam velle id, quod nunquam noverit esse futurum. &c. Denique excessum studii Irenici Leibniziani in hac ipsa causa probare nequaquam possumus.* Unde tandem concludimus, quia ista omnia paradoxa sunt, scatent æquivocationibus, & sine necessitate turbant methodum docendi hætenus usitatam, imò & Scripturariam, ea merito relegari ad sententias accessorias, quæ veritatibus primariis plùs creant præjudicii, quàm utilitatis adferunt.

§. 14.

Cùm inter alia objectum fuerit, quomodo detestatio & odium infinitum

* Hunc excessum vix negari posse credimus. Logomachiam in controversiis de Prædestinatione & gratia versari credit *Autor Illustris*. Id nec ipsi Doctores gratiæ particularis admittunt, & si qui sint, qui selectis argumentis mitigare cupiant invidiam dissensûs in hoc argumento, eousque tamen, nisi per paroxysmum singularem, progredi hætenus licuit nemini, ut realem dissensum ex hisce controversiis expungeret. Momentum & invidiam hujus differentię cordati Irenici hætenus sæpè tentârunt imminuere, atque ad terminos tolerantię pacificæ inflectere: Gratiam autem particularem & universalem cum doctrinis cognatis, rectè intellectis, simul posse consistere, & simul veras esse, nunquam dixerunt, quod cum aliis rationibus gravibus conjunctum vim demonstrationis haberet. Cetera pondus summum & gravissimum in hoc dogmate valere, cùm Reformati paululùm impartiales magnificis verbis agnoscant, multo minus nos decet abnegare, apud quos pridem hæc veritas maximo in pretio est.

tum peccati in Deo cum permissione peccati conciliari queat? etiam septimò hanc difficultatem nonnulli conati sunt tollere, respondendo: *Deum proprie loquendo offendi*, i. e. ladi, incommodo affici, inquietari, aut irasci non posse, eumque nihil eorum, quæ existunt, detestari, posito, quod detestari sit idem, atque cum abominatione adspicere, nauscam, rancorem, cordolium concipere ex confecto, Deum enim nec angorem, nec dolorem, nec incommodum pati posse, perfecte semper contentum & beatè agentem. Tales tamen, (sic pergunt) locutiones sano sensu admitteri possunt & debent. Suprema enim Dei bonitas efficit, ut voluntas ejus antecedens malum omne repellat, sed malum inprimis morale, quod non admittet, nisi ob rationes superiores Optimi, quibus involvitur, & magnis cum temperamenti, quæ malos effectus cum lucro compensant &c. * Et illa verba huc pertinent: *Ambiguitas aliqua latet in eo*, quod dicitur, *amorem virtutis*, & *odium vitii esse in Deo infinitum*. Id si absolute & sine restrictione in ipso eorum exercitio locum haberet, nullum esset in mundo vitium. At quamvis qualibet Dei perfectio in se ipsa infinita sit, non tamen exercetur, nisi proportionem obiecti, & uti fert natura rerum. Itaque amor optimi in toto obtinendi ceteras omnes inclinationes particulares & odia vincit: hujus solius amoris exercitium est absolute infinitum, cum nihil Deum prohibere possit, quo minus in optimum feratur: quod si vitium aliquod cum optima idea possibili connexum inveniatur, Deus illud permittit. ** Quamvis autem in hac observatione aliquid reperiatur, quod omnes concedunt & fatentur, nimirum ἀνθρωποπαθείας divinam loqui Scripturam, cum affectus humanos Deo tribuit, idque in scriptis Theologorum vulgare sit atque tralatitium, putem tamen, magnis abusus hoc, quicquid est, esse obnoxium. An omnia illa, quæ ad anthropopathicas loquendi de Deo formulas sæpe referuntur, revera eò pertineant? nolim nunc data opera examinare. Nondum autem penitus exhaustam vel confectam esse quæstionem, ut suspicer, variæ rationes me inclinant. Hoc certum est, quod humano more, & cum iis imperfectionibus, quæ in affectibus & proprietatibus hominum esse solent, nihil horum sit Deotribuendum: Sed nolim continuo dicere, haud vere & proprie Deo illa competere, si possint ab hujusmodi imperfectionibus purificata intelligi. Inque hanc ipsam sententiam eo magis propendeo, quo frequentiores struuntur insidiæ in opinione contraria, hodieque inprimis quàm plurimi, cum aliter ad efficacissima Scripturæ testimonia respondere non possunt, eadem per exceptionem ἀνθρωποπαθείας aut ἀνθρωπολογίας soleant eludere, quod minime ferendum est. Evolvi in hu-

* Tentam. Theodic. p. 150. §. 114.

** ibid. p. 153. §. 117.

in hujus rei testimonium præcipue meretur SPINOSA, qui propositionibus istis: *Deus est expers passionum, nec ullo lætitiæ aut tristitiæ affectu afficitur: Deus proprie loquendo neminem amat, neque odio habet*; turpiter & scelestè abusus est ad ludibria sua Atheistica. Idem venenum sub eo latet, quando prætextu figuratæ locutionis id omne ipso opere tollit & removet, quod Scriptura per iram Dei repræsentat, item *superstitioni & ignorantia hominum* tribuit, quod, *dùm inter tot naturæ commoda non pauca reperire debuerint incommoda, tempestates, terræ motus, morbos, &c. crediderint, hæc propterea evenire, quod Dii irati essent ob injurias sibi ab hominibus factas, sive ob peccata in suo cultu commissa.* * Absit igitur, absit quàm longissime, ut ad quæstionem: quomodo tam severum perfectumque peccati odium cum permissione illius, quæ vulgo dicitur, consistere queat? quidquam respondeamus, quod vel eminus eo trahi possit, quasi crederemus, certo tantum sensu graduque peccatum Deo ingratum esse, alio autem sensu & gradu non esse. Verendum est, ne id ad extenuationem peccati & contemptum funestissimorum illius fructuum per Tentatorem referatur. Principalis causa nostri adversus peccatum odii esse debet, non quod nobis noceat, aut damna afferat, sive spiritalia, sive in bonis externis (etsi nec ista contemnenda sit jactura) sed, quod Deum offendat, quod gloriam Dei minuat & tollat, quod omnis cum Deo communionis sit impedimentum, quod summa sit adversus Deum inimicitia, & Sanctum illius Spiritum exacerbet. Ne alia nunc adjiciam, quæ altioris indaginis sunt, quibusve Spiritum irrisoris provocare nollemus, etsi sint omni veneratione dignissima. Nisi autem sive vera, sive præsumpta antropopathia, de qua hic agimus, ita intelligatur, ut præcisè imperfectis salva maneat in Deo perfecta & Deo digna ab omni eo, quod peccatum est, aversio, tueri non possumus hanc veritatem, atque inprimis ludibrio emparatarum exponimus sanctissimas meditationes & exercitia animarum, quæ ipso duce Spiritu Dei, & ex altiore principio, Scriptura indice, æstimare peccata didicerunt. Cetera odium peccati in Deo infinitum dicere quid verat? nulla enim ex infinitis Dei perfectionibus est, cui peccatum non repugnet, nihil in Deo est, quod non resistat peccato, eique, quantum penes ipsum est, reprimendo se non applicet, etiamsi nostræ inexperientiæ haud raro secus videatur, cui etiam hanc objectionem procul dubio debemus, *nullum sine dubio fore peccatum, si infinitum illius in Deo esset odium*, quæ consequentia summo jure negatur.

H

§. 15.

* Op. Posth. epist. XXVI. p. 458. ibid. Ethic. p. 35.

§. 15.

Octavo indagare decrevimus, quid ad levandas difficultates nostras conferre possit, si doceatur, omne malum, cum non sit perfectio aut realitas, privationem tantum esse, & limitationem ab ipsa creatura oriundam, hincque causam efficientem aut producentem non habere, sed deficientem solum, qualis cum Deus esse nequeat, nullam proinde ejus culpam ad ipsum posse redundare. Neminem utique latet, plurimum momenti in haud una controversia hac ipsa in observatione collocari. Si Theologi ac Philosophi urgentur in doctrina de concursu divino ad actiones malas, maximeque suspensi sunt eorum adversarii circa sufficientiam distinctionis inter materiale & formale, inter materiale proximum & remotum hujusmodi actionum, constat, eos constanter respondere, actionem physicam esse positivum quid, peccatum autem seu vitiositatem privationem esse. Illud a Deo, hanc a creatura proficisci posse ac solere. Multo adhuc magis ad hanc munitionem se recipiunt Doctores Prædestinatiani & Prædeterminatistæ (sit venia his vocabulis, quæ nos non fecimus, & eo sensu, quem res ipsa præ se fert, valere permittimus) quos vero in ardua hac causa rationibus haud validis insistere eximio cum candore, & magno robore argumentorum suffultus demonstravit excellens inter Reformatos Theologus, sæpe jam laudatus PLACETTA, qui hîc legi meretur præ multis aliis. * Porro Theologi, qui creationem animarum statuunt, & sentiunt tamen, hanc doctrinam haud parum gravari per objectionem de propagatione peccati originalis, sententiam de natura peccati privativa avide arripiunt, atque inde conantur ostendere, quomodo animæ creentur a Deo, & tamen absque culpa Creatoris justitia originali careant, quod ipsum dogma in Reformatis Ecclesiis admodum vulgare est, in nostris

* Dabimus verba quædam hujus Autoris præcipua. Rien (sic ille) n'est plus vain, rien plus frivole, que cette défaite. Premièrement, si elle étoit bonne, elle ne serviroit pas seulement à disculper Dieu, elle feroit encore le même effet à l'égard des hommes, & des démons. Ni les uns, ni les autres ne seroient blâmables, soit lorsqu'ils pechent eux-mêmes, soit lorsqu'ils induisent les autres à pecher. &c. . . Cette réponse suppose la chose du monde la plus fautive. C'est, que le mal, qu'il y peut avoir dans une simple privation, ne peut, ni ne doit être imputé à ceux, qui n'ont pas produit cette privation par une action positive, qui s'y termine directement, & immédiatement. Rien n'est plus éloigné de la vérité, que cette imagination. Il suffit pour rendre quelqu'un responsable du mal, qui il y peut avoir dans une telle privation, qu'elle soit la suite nécessaire d'une action, qui a un autre terme. V. Réponse à une question &c. p. 392. seqq. Ch. XII. de l'Addit. touchant le dogme de la premotion physique.

nostris vero Academiis approbatur a paucioribus, inter quos tamen nonnulli sunt, qui creationem animarum ipsi non statuunt. * Ex aliis autem rationibus pridem orta est inter Nostrates quoque fere supra meritum celebris quæstio: an peccatum originis ex indole sua nativa in positivo aut privativo consistat? quæ cum instituto irenico a Theologis quibusdam judiciosi ita componeretur, ut dicerent, eos, qui cum Scriptura de peccato tanquam de positivo aliquo loquantur, de peccato in concreto, ut subjectum suum, h. e. habitum vel actum complectitur, loqui, ceteros peccatum in abstracta sua forma considerare. ** Deinceps ita exasperata est, ut, Duce maxime BALTH. MEISNERO *** rejecta formula concordia modo proposita, a plerisque doceri cœperit, peccatum etiam in abstracto consideratum in positivo consistere, cumque id invidia & periculo haud carere videretur, distinctio in *positivum metaphysicum* & *morale* iisdem avertendis addita est. Pariter ad hanc privationem peccati sæpissime in suo Systemate provocat *III. Theodicae Autor*, eamque ad materiam de Providentia Dei accommodat. *** Nos omnibus prioribus quætionibus amputatis, quæ scopum nostrum proxime haud feriunt, id unum candide profiteamur, nec nos perspicere, quid illa sententia de privativo, item de causa peccati non efficiente, sed deficiente, ad justificandam Dei permissionem, hoc loco controversam, magnopere conferre possit, aut juvare? Dubia, quæ contra hanc moventur, peccatorum omissionis potius, quam commissionis Deum accusant, causamque moralem eundem faciunt peccati, non physicam, deficientem, non efficientem. Sed nolumus his diu nunc immorari. Illud tamen haud prorsus præterire decet, quod ipse etiam SPINOSA sententiam istam de peccato in privatione consistente malignis suis glossis inquinaverit, atque ad pessimos abusus detorserit, ut vel ex hoc specimine, quàm caute sit in his formulis procedendum, liquido appareat. Objecerat SPINOSÆ GUIL. BLYENBERGIUS, *ex ipsius hypothesebus sequi, quod Deus id operetur, quod nos malum*

H 2

voca-

* Ex Reformatis Theologis nullo speciali testimonio opus habemus. Ex nostris Helmstädienses potissimum steterunt pro creatione animarum. Inter Theologos, qui hanc non statuunt, & tamen eam absolverunt ab imputatione neglectæ propagationis P. O. unicum hic nomino JOH. MUSÆUM in Declarat. Theol. Jenens. p. 300. seqq.

** V. omnino laud. MUSÆUS l. c. p. 229. usque ad p. 299.

*** Quest. vexat. IV. per tot.

**** Tentam. Theodic. p. 83. 89. 92. seqq. 195. sive §. 20. 27. 32. 33. 153. 378. Causa Dei §. 69. seqq.

vocamus. Ad hoc ille respondit: Quoad me non possum concedere, & malum quid positivum esse, multo minus aliquid esse, aut fieri contra voluntatem Dei. Contra dico, non solum peccata non esse quid positivum, verum etiam affirmo, nos non nisi improprie, vel humano more loquendo dicere posse, nos erga Deum peccare, ut cum dicimus, homines Deum offendere... Quandoquidem ergo voluntas decretumve Adami in se spectatum nec malum, nec quoque proprie loquendo contra Dei voluntatem erat, sequitur, Deum ejus causam posse, imo debere esse, non vero quatenus malum erat: nam malum, quod in eo erat, non erat aliud, quam privationis status, & certum est, privationem non esse quid positivum, eamque respectu nostri, non vero Dei intellectus ita nominari. &c.* Hæc utique turgent veneno, & foedam ostendunt faciem, cui nullus fucus, nullum pigmentum sufficiat. Denique hanc coronidem addimus hactenus dictis: Quodsi comparemus hominum ratiocinia & philosophemata de peccato cum testimoniis Scripturæ & Spiritus S. in ea deregentis etiam hæc ἡ ἀδὴ τῆ Σατανᾶ, semper novam venerationem gratiæ Dei in tanto beneficio revelationis suæ gratiosæ, semper novam Theologiam comparativam surgere & stabiliri in animo nostro. Mirum quantum in se ipsos animadvertunt homines hæc subsidia levissimè contententes & negligentes. Πᾶσα ἀρχὴ βασις καὶ ἀρχὴ λαμβάνει ἐν δικῶν μισθὰ ποδοῖσάν. **

§. 16.

Nono murmuratoribus adversus providentiam Dei respondetur a nonnullis, contraria juxta se posita magis elucescere. Notæ sunt copiosæ LACTANTII sententiæ, quæ cum ex hoc principio fluxerunt, tum a Viris doctis hoc nomine reprehensæ sunt. *** Non potest quisquam (hæc verba LACTANTII ex multis deligimus) eligere meliora, & scire, quid bonum sit, nisi sciat simul rejicere ac vitare, quæ mala sunt. Invicem sibi alterutrum connexa sunt, ut sublato alterutro utrumque tolli sit necesse. Propositis igitur bonis malisque tum demum opus suum peragit sapientia, & quidem bonum appetit ad utilitatem, malum rejicit ad salutem: Ergo sicut bona innumerabilia data sunt,

* Opp. Posthum. in Epistolis p. 478. seqq. usque ad p. 505.

** Hebr. II. 2.

*** Sic recte in nervosa doctaque nota, (quales esse solebant Viri illius eruditi) CHRISTOPH. CELLARIUS observavit contra Lactantium: fuisse sapientiam, antequam mala essent, eamque fore perpetuam, sublati malis omnibus. Caute ergo, quæ hoc loco dicuntur, accipiendæ, cum pœnæ mala non ante culpam hominis fuerint, neque ad exercitium sapientiæ instituta. Opp. Lat. p. 586. seqq. ad n. 16.

sunt, quibus frui posset, sic etiam mala, quæ caveret, nam si malum nullum sit, nullum periculum, nihil denique, quod ledere hominem possit, tollitur omnis materia sapientia, nec erit homini necessaria... Vides ergo, magis propter mala opus bonis esse sapientia, quæ nisi fuisset proposita, rationale animal non essemus.* His adjungo sententiam unicam Celeb. apologetæ religionis Christianæ, JACOBI ABBADIE, quam is profert adversus Libertinos & Atheos providentiam Dei circa mala accusantes, eo ipso quidem loco, quæ causas reddit permissi divinitus peccati. *Hoc unum dicam*, inquit, *peccata exercitio plerarumque virtutum præbere debere materiam. Tunc demum patientiam illustrem esse, cum exercetur multis adversitatibus, & violenta oppressione. Temperantia gloriam in devictis apparere cupiditatibus, humilitatis in superata superbia, justitia in triumpho avaritia & commodi proprii. &c. *** Enimvero hæc omnia non prorsus abs re sunt, si ad eventum corrigentis & dirigentis Dei providentiæ, atque ad sanctum *abusum peccati per accidens* (qua formula loquendi haud male utitur GISB. VOETIUS ***) referantur, non vero ad fines directos & primitivos consiliorum divinatorum. Postquam enim peccata existunt, & existunt quidem contra beneplacitum & voluntatem Dei, tantum abest, ut propterea desinat sapientia, bonitas, & potentia Dei vigilare ac operari ad limitandos emendandosque funestos peccati effectus, ut potius tunc demum in hoc negotio operosissimum & vigilantissimum se Deus exhibeat. Quod si vero prima & perfectissima Dei consilia secuti essent homines, nunquam propter fines supra adductos contraria fuissent juxta se posita, nunquam hac ratione persuadente aut excitante opus habuissent homines, nunquam virtutum earum prodiiisset exercitium, quarum natura consistit in lucta adversus vitia, utpote quæ tunc fuissent Nihil. Sed hæc certa satis & manifesta esse arbitramur.

§. 17.

Decimo expendi meretur, quid de illa responsione sentire deceat, cum ad objectionem de infinitis mediis impediendi peccatum ejusque fructus apud Deum paratis, nec tamen adhiberi solitis, excipitur, Deum ad usum illorum mediorum non teneri, aut obligatum esse, unde nec eorum negatio aut subtractio ab hominibus vitio verti eidem possit? Ad hoc præsidium &

H 3

aliàs

* I. c. de Ira Dei. C. XIII. n. 13. seqq. & locis aliis quàm plurimis.

** Tr. de Veritate Relig. Christi. vers. Germ. T. I. Part. I. C. XV. p. 99.

*** V. ejusd. Disp. de peccati usus per accidens T. I. Dispp. Select. p. 1063. quamvis ille Theologus has hypotheses maxime ad Ref. doctrinam accommodet.

aliâs se receperunt Theologi Reformati in suis de prædestinatione & reprobatione disputationibus, maxime in fervore contentionis cum Remonstrantibus, unde deinceps enata est quæstio *de viribus credendi in Christum in Adamo amissis**, nec non altera *de apparatu gratiæ indebito*** ; de quibus & nostri Theologi data occasione suum posthac tulerunt judicium. Apud hos insuper eadem ratio indebitæ obligationis occurrit in controversia *de reiteratione prædicationis Evangelii* apud populos hoc beneficio semel gavisos, ac deinceps sua culpa privatos***, item *de termino voluntati antecedenti & gratiosæ Dei in hac vita constituto*****. His autem litibus in præsentia nos non miscebimus, etiam si suo momento non careant. Num vero ratio indebiti Deum permovere soleat ad neganda hominibus gratiæ auxilia, quæ finem ab ipso intensissime desideratum, conversionis & salutis ipsorum, certo & infalli-

* Sæpe miratus sum hanc quæstionem, cujus natales, si quidem recte illius teneo Historiam, isti fuerunt. Injustitiam reprobationis etiam Infralapsariæ demonstrare conati sunt Remonstrantes ex eo, quod reprobi non teneantur credere in Christum, quia ad ipsos non pertineat, nec ad eos salvandos sit destinatus. Hujus objectionis elidendæ gratia responderunt Reformati, non teneri Deum vires credendi in Christum dare reprobis, quas in Adamo amiserint. Id vero negârunt Remonstrantes verum esse. Postmodum ea de lite diversa & contraria tulerunt judicia ex Nostriatibus HÜLSEMANNUS *Tr. de Auxil. Grat. p. 52. seqq.* & DORSCHÉUS *Pentad. p. 231. seqq.* quorum rationes ulterius contulit Canc. JÆGERUS in *Jure Fœd. div. p. 99. seqq.* Nos parùm momenti in hac quæstione collocamus.

** Hanc quæstionem de apparatu gratiæ indebito contra Remonstrantes prolixè amplificavit HÜLSEMANNUS *l. c.* Nec negamus, hypothesen Remonstrantium aliquid fermenti admiscuisse. Ipsa tamen controversia haud admodum difficulter componi posse videtur.

*** Quoad hunc articulum celebris est ejusdem D. HÜLSEMANNI sententia. *Necessum non est, inquit, dari aliam causam ex parte Dei, cur semel privatis luce Evangelii eandem non restituat, quàm rationem equitatis, quia justè ablata est, & rationem libertatis, quia, quod jure ablatum est, non tenetur restituere.* *Tr. de Auxil. Gr. p. 149.* Nemo certe negaverit, hanc ipsam sententiam magnis difficultatibus & dubiis esse obnoxiam.

**** Huc pertinet tota controversia de termino gratiæ peremptorio, quæ tot strepitus in Ecclesia excitavit. Legimus de hac quæstione scripta insignia, sed manutantum tradita, Ven. tùm temporis Academiæ nostræ Theologorum, FÖRTSCHII, REÜCHLINI, PFAFFII ipsius etiam Cancell. tùm Consistorialis Theologi, JÆGERI, plurimumque ex iisdem didicimus. Conf. quæ nuper in *Politica Sacra* tradidit Vir doctissimus ALBERTUS ZUM FELDÉ *p. 296. seqq.*

fallibili eventu promovissent? magna & difficilis utique quæstio est. Qui id fieri potuisse per varias species gratiæ irresistibilis statuunt, ad omnipotentiam Dei provocant: ceteri, qui infinitas gratias congruas Deum in promptu habuisse, credunt, in illius omniscientia suum quærunt præsidium, & subductis rationibus omnibus hunc demum ponunt calculum, quod Deus nec illa, nec ista, specie gratiæ semper ac ordinarie vel usus sit olim, vel adhuc hodie utatur, ejus rei nullam aliam posse rationem reddi, quam quia Deo sic placeat, posse autem id ei propterea sine culpa placere, quia ad hujusmodi eroganda subsidia non teneatur. * Testari Dominum ipsum, *Tyrios ac Sidonios, si miracula vidissent facta apud Chorazitas & Bethsadanos, in sacco & cinere pœnitentiam acturos*, nec multum dissimilia Prophetæ Ezechieli Deum locutum esse. ** Sufficere, (hoc in specie addunt illi, qui gratiam universalem statuunt) quod Deus omnibus media salutaria, sufficientia, & efficacia subministret: plura & majora in ejus potestate libera esse, nec ab hominibus ullo jure postulari. At nec desunt ex altera parte, qui aliter sentiant, multisque rationibus dissensum suum confirmant. Earum summa huc redit: Deum nec ab initio ad ullius gratiæ dispensationem ex debito teneri, neminem tamen dubitare, quod eam, supposita semel vo-

luntate

* Nescio fere hoc quicquid est eloqui verbis liberioribus quæsitisque magis, quam ea sunt, quæ apud PLACETAM leguntur. Certe *Reponse*, inquit, (nimirum de libertate aliàs violanda) est si fausse, que j' ai de la peine de comprendre, comment des personnes habiles & intelligentes ont pu s' en payer. Il est de la dernière évidence, que Dieu pouvoit empêcher, soit l' homme, soit l' ange, de pecher & de se perdre, sans blesser le moins du monde leur liberté. Il pouvoit faire pour eux ce, qu' il a fait pour les anges fidèles, & pour les Saints glorifiés, qui ne laissent pas d' être libres: quoiqu' ils soient impeccables & impassibles. Il pouvoit leur donner un secours efficace par lui-même; il pouvoit leur donner une des grâces qu'on nomme congrues, & dont on prétend, que l' effet est absolument infail-
lible. ... En un mot Dieu ne manquoit pas de moyens pour empêcher le péché d' entrer dans le monde sans blesser tant soit peu la liberté. Et par conséquent, n' opposer que ceci, à l' objection prise de la permission de ce mal, & des autres, qu' il a entraînés, c' est lui laisser toute sa force, & avouer, qu' on ne peut la foudre. *Reponse à deux objections n. 162. seqq.* Petri Balii parenthesin: horresco referens: circa idem argumentum nullo loco habemus. Declamare enim voluit, non ferâ locutus est, cum illa scriberet. Conf. tamen, si placet, ejusdem T. IV. Rep. aux Quest. d' un Prov. & ibid. Rep. pour Mr. Bayle à Mr. le Clerc. p. 87. ad quod scriptum multa non exilis momenti possent annotari. Alia similia dimittimus.

** *Matth. XI. 21. Ezech. II. 6.*

luntate illius benevola salvandi homines, negare Deus non possit: argumentum illud ab indebito petatum vel nihil probare, vel nimium probare, quod priori æquipolleat. Multa Deum sibi ipsi ac perfectionibus suis quasi debere, quæ creaturis proprie loquendo nulla ratione debeat. Non esse item hoc loco de inæqualitate dispensationis gratiosæ, sed de illius causis atque rationibus. Præsumtam illam viam facilem convertendi homines universos quasi in ictu oculi per gratias irresistibiles & congruas, si mollissime loqui velimus, nequaquam tam certam & liquidam esse, ac nonnulli prætendant. Hanc præsumtionem plura circa vias Dei scandala excitare, quàm tollere, & speciosis contra seriam perfectamque charitatem Dei erga homines, ab omni studio partium remotam, murmurationibus occasionem præbere latissimam. * Patere e scriptis DD. particularis gratiæ recentissimis, quantos inde pro sua sententia triumphos conficiant. ** Nec de aliis abusibus adhuc pejoribus dubitare posse, qui monumenta nostri temporis reliqua recte judicare didicerint. In ridiculum sensum hoc modo converti magnifica Scripturæ S. testimonia de *divite misericordia Dei, multaque charitate, qua dilexit*

* Si quis hæc vividius ac plenius deducta legere cupiat, eum ablegamus ad PER-
TRUM POIRETUM, ejusque *Oecon. Div. Tomum tertium, Ch. III. p. 47. seq.*
Nihil tamen inde huc transferimus. Nolumus autem negligere discursum
hujus Viri adversus Jansenistas, quem in *Præf.* ejus ad *Vitam GUIONIÆ* le-
gimus. *On n'apas moins de peine a comprendre, & a avouer, comment Dieu*
étant tout amour, toute bonté, touté félicité, lumière & sainteté, s' il avoit une
grace irresistible (idem de prætenis illis gratiis congruis dicendum esset ex
his principiis) aimeroit mieux ne la donner, qu' a un petit nombre d' hommes,
& la refuser a une infinité d' autres; que de la donner a tous, & ainsi les ren-
dre tous heureux, saints, l' aimant, & le benissant éternellement; vû qu' il n' en
conteroit a Dieu qu' un acte de le vouloir, un acte de volonté d' un être, qui na-
tuellement est la bonté infinie. On ne sauroit comprendre, que Dieu aiant donné
son Fils égal a lui, pour sauver tous les hommes, s' il avoit une grace irresistible,
qui seulement ne peut être égale en valeur a son Fils, leur auroit cependant re-
fusé le moindre, sans quoi le don principal de son Fils devenoit inutile. On ne
peut concevoir, comment le Fils de Dieu, en qui Dieu prend tout son plaisir,
demandant d' un côté a son Pere le salut de tous les hommes: & que d' autre co-
té le Demon, ennemi de Dieu, demandant les memes hommes &c. supposé, que
par une grace irresistible il auroit pû donner tous a son Fils, ait néanmoins mieux
aimé par le refus de cette grace en accorder au Demon la plus grande partie &c.
p. XXVIII. seqq. Hæc certe in timore Domini merentur expendi.

** V. JO. LA PLACETTE *Reponse a deux objections p. 163. seqq.* item *Additiones*
integram hujus libri p. 281. usque ad finem.

dilexit nos, etiam cum per offensas mortui essemus * nec posse amplius dici, Deum dare omnibus affluenter, & quidem sine exprobratione, ** quam maxime autem imbecillum fore conclusionem Apostoli, postquam Filium suum coelestis Pater nobis dedit, hunc omnia cum eo dare paratum esse. *** Ut alia id genus plura nunc taceamus. Quod si autem vel paucissimis verbis sensus animi nostri exprimere liceat, fateamur, tantam nobis audaciam non adesse, ut asserere sustineamus, Deum in his casibus, de quibus hic quaestio est, ex puris putis rationibus indebiti agere. Haec tamen laudanda censeo verba illustri LEIBNITII, quae in *Causa Dei* asserta protulit. Nos igitur, inquit, rejecta illa odiosissima misanthropia tuemur merito summam in Deo philanthropiam, qui omnes ad veritatis agnitionem pervenire, omnes a peccatis ad virtutem converteri, omnes salvos fieri serio voluit, voluntatemque multiplicibus gratia auxiliis declaravit. Quod vero non semper facta sunt, quae hic voluit, utique repugnanti hominum malitia attribui debet. At hanc, inquit, superare potuit summa potentia sua. Fateor inquam; **** Sed ut faceret, nullo iure obligabatur; ** neque id ratio aliunde ferebat. Instabis: tantam benignitatem, quantam Deo merito tribuimus, progressuram fuisse ultra ea, quae prestare tenebatur: imo optimum Deum teneri ad optima praestanda, saltem ex ipsa bonitate naturae suae. Hic ergo tandem ad summam sapientiam divitias cum Paulo recurrendum est. *****

§. 18.

Denique post repudiatam illam quoque sententiam, quam Celeb. POIRETUS arripuit de idea peccati in Deo ante peccatum actuale creaturarum non existente, ***** dicendum aliquid supererit de ea specie apologiae pro divina

I

* Ephes. 11. 4. s. ** Jac. 1. 4. *** Rom. 11X. 32.

**** Mallem ego dicere, hoc non esse objectum competentis omnipotentiae divinae phy- sice spectatae, sive ut alii loquuntur, absolute.

***** Sc. eo sensu, quem supra agnovimus.

***** Idque rectissime, dummodo haec provocatio ad τὸ βάλειν Sc. salvum ratum- que relinquat, quod hic precipuum est, nihil scilicet sua ex parte reliquum fecisse Deum, ut ad finem summi sui amoris erga creaturas suas perveniret, etiamsi nos de singulis huius executionis mediis & nexibus rationem reddere nec possimus, nec debeamus. Vid. l. c. p. 28. 29. §. 123. seqq.

***** Statuit id Vir ille Doctissimus passim in scriptis suis, Oecon. divina, Cogitationibus rationalibus, ac praecipue in memorabili sua adversus ABRAHAM. VUNGLERUM, Professorem Herborensem Apologia. Nos vero luben-

divina Providentia, qua asseritur, plerosque, si non omnes, modos impeditiois peccati, quos murmuratores prætendunt adhiberi a Deo debuisse, esse precario confictos, viis Dei, quas ex Verbo illius discimus, nequaquam conformes, ex parte etiam impossibiles, absurdos, Deoque indignos. Sic procul dubio ineptum est, cavillari, satius fuisse hominem non creare, quàm creare lapsurum. Certe hæc cogitatio nemini serio placere potest, quàm homini Atheo, vel fortissime ad Atheismum inclinanti. Quis sobrius unquam credidit, nullum a Deo aut hominibus dari posse beneficium, quantumvis ex optima ac summe laudabili intentione, cujus abusus metuitur, aut prævidetur? Certo certius impiam vel cæcam sapit temeritatem, cum vel specie dubitationis prudentis excipitur, non debuisse ea Deum facere, quæ ipsum fecisse revera sole clariùs constat. Ut supra monuimus, vel ad Atheum ejusque sententiam de Deo hypotheticam hic provocare integrum est. Si dixerit aliquis: ad minimum rectius fore, si Deus creaturas suas intelligentes haud condidisset labiles, aut liberas, speciosa equidem hæc objectio multis videbitur, sed solida non est. Impeccabilitas ista conferri creaturis intelligentibus debuisset vel per naturam aliam, vel per gratiam superabundantem. Aliam naturam, eamque phyfice impeccabilem, Creatorem dare potuisse, salvo fine, quem sibi in earum conditu propositum habuit, fingitur, non probatur, imo multæ rationes obstant inanibus his conjecturis. Certe Scriptura ad eas nullibi nos manuducit. Gratiam autem confirmationis, sive impeccabilitatem per gratiam concreari, & conferri potuisse aut debuisse ante fidem Deo præstitam in statu probationis, eadem facilitate negari potest, qua id murmuratores affirmant. Certe non purum putum beneplacitum, sed sapientissimæ rationes in causa fuerunt, cur Protoplasti non in statu plenæ felicitatis & beatitudinis, sed intervallo probationis intermediæ a Deo collocarentur. Non potest ac debet esse primum beneficium, quod præmium est & corona proba-

tissime hic assurgimus iudicio *Magnif. nostri Cancellarii*, qui *septa eum hic mi-grasse* scribit in *Diff. III. Anti Bel. p. 29.* Non opus habuisset accessoria hac, nec mature satis perpenfa, cogitatione Vir cetera de gloria divinæ Providentiæ adversus varii generis errores in quàm plurimis præclare meritis, imo eventus multiplex docuit, eum per scrupulum istum minime necessarium aut fundatum occasionem præbuisse, ut nec alia ab ipso egregie & sapienter observata facilem invenirent fidem. Nisi forte aliter verba sua intellecta voluerit, quàm præ se fert sensus eorum obviis, & quædam in *idea illa peccati* lateat æquivocatio. Aliàs enim non capimus, quomodo Creator sapientissimus, ut creaturas suas in statu probationis constitutas adversus peccatum præmuniret, intendere & conari potuerit, si nullam de peccato possibili aut futuro cogitationem vel ideam habuisset. Cetera nunc dimittimus.

probatae fidei atque obedientiae. Admirandum hic est, quod nec ipse Filius Dei, nisi per hanc viam, consecutus sit gloriam suam, atque in eam intraverit; quamvis ipse aliis ex titulis infinitum in modum omnes alios homines meros superet, ejusque tentationes ac probationes cum tentationibus & probationibus aliorum hominum nequaquam deceat confundere. Profundae insuper meditationis materiam praebet homini Christiano, cum videt, semper & ubique hoc ordine Deum in omni cum hominibus agendi ratione processisse. His profecto ambagibus, his periculis, his tentationibus, aut probationibus sine urgente necessitate, sine magnis rationibus justisque, ne peccatores quidem indignissimos unquam Deus exponeret, nedum creaturas integras. Vero igitur simillimum est, chimaras sibi fingere homines, dum conjiciunt, omnia ista facillime mutari, atque aliter disponi posse, ac debere. Ceterum per vitae & existentiae ablationem saepe Deus peccatum impendivisse legitur. Hoc modo si semper & apud omnes peccato resistere teneretur, brevissimum id medium esset, si omnes statim occideret, atque e via tolleret, antequam peccant; sed hoc tam insulsum esset a Deo postulare, ut firmiter credam (liceat haec non sine ratione repetere) nec de Deo quodam hypothetico tale quid ullum cogitaturum esse Atheum. Dicent forsitan murmuratores. Non hoc volumus; sed putamus tamen, nihil ob stare, quo minus Deus non actiones tantum malas externas infinitis modis impediat, sed ipsas etiam voluntates hominum flectat, earumque actus elicitos ad bonum dirigat, & quasi cogat. Cur id non semper facit, quod saepe eum fecisse constat, si vera sunt, quae Theologi de tam severo peccati odio, ac de tam seria erga quosvis benevolentia differunt? Sed confidenter respondemus, absurda haec esse postulata, & plane injusta. Etiam si malos homines in externis actibus malitiae semper impediret atque coerceret Deus, (quod tamen gravissimis rationibus inductus, quarum nonnullae ipsorum etiam hominum salutem & bonum respiciunt, jure non facit) non tamen propter ea id sublatum esset, & impeditum, quod in peccato praecipuum est, interior scilicet humanorum cordium malitia, imo in multis casibus haec tum fieret sceleratior & immedicabilior. Voluntates ipsas hominum quandoque alio inflexisse, & inflectere divinam manum, Scriptura clarissime testatur; sed & modum ignoramus, nec exempla ista agunt de conversione, emendatione, & mutatione spiritali hominum ad id quasi per vim apertam aut occultam coactorum; ad minimum inde probari nequit, decere Deum, ut hac methodo, hoc medio omnes homines cogat se convertere: imo longissime probabilius est, hujusmodi coactionem libertatis a Deo ipso instar praestantissimi muneris datae non esse objectum competens

omnipotentiae divinae absolute agentis, non esse possibilem eo sensu, quo Theologos respectu decentiarum divinarum omnium quidquam Deo possibile statuere supra jam observavimus, denique cum veritatibus in Scriptura S. nobis de Deo & constanti ejus cum hominibus agendi ratione e diametro pugnare, quarum tota analogia nos docet, voluntates Dei efficacissimas & maxime serias ultra non progredi, ubi voluntatem humanam inveniunt repugnantem & contrariam. De reliquo praecipua impedimenta, quae Deus peccato objicit apud homines, sunt interna & spiritualia, atque intra homines ipsos eorumque animos, quatenus luminis atque influxus divini gratiosi capaces sunt, vim suam principalem exerunt. Eos igitur, qui Deum quidquam hic omittere, peccatum non impedire & coercere, vellent statuere, eporteret esse scrutatores cordium, conscios eorum omnium, quae Deus & Spiritus illius in sinu & meditullio mentium atque conscientiarum tentat, movet & praestat, priusquam audiri mereantur, sicut revera nullum dubium est, quin infinita, vel in sola causa, de qua hic agitur, adversus Dominum ab ignorantia & malitia hominum spargantur & credantur mendacia, quorum ipsos aliquando certo certius poenitebit. Unum in praesentia (cum vela cogamur contrahere) conclusionis loco addimus ex praemissis: Si ulla permissio peccati, sive non impeditio illius, Deo tribui possit, eam non esse arbitrariam quandam, partialem, & male coherentem omissionem aut neglectum eorum mediorum, quae ad fines Dei ipsius obtinendos omnium facillime optimeque, & cum successu infallibili, potuissent ac debuissent adhiberi: Sed esse actum justitiae divinae, quo Deus hominem ingratum, indocilem, & pertinaciter perseverantem in amore peccati & inobedientia adversus quoscunque ductus pulsusque gratiae divinae tandem invitus & cum dolore (Scripturarum sic loquimur) malae suae & perversae voluntati relinquit, paratus tamen ad novam gratiam & beneficia, quam primum is ad cor suum redierit, & malam suam voluntatem misericordiae ipsum infatigabiliter quarenti oppondere desierit. Quid ipse livor inferni in hac permissione desideraverit?

§. 19.

Pars instituti nostri exegetica Historiam lapsus Protoplastorum, ejusque memorabilia illustrabit, eo quidem ordine, ut veritates primarias ab accessoriis commentationibus varii generis per brevissimas animadversiones secernamus. Hanc ideo delegimus, quia affinis est argumento, quod tractamus, principali, ac praeterea vix ulla portio est historiae sacrae, quae acius provocaverit humanam curiositatem ad luxuriationes prope innumeras in opinionum-
culis

culis & conjecturis, gradibus probabilitatis & certitudinis, utilitatis vel inutilitatis, valde inter se invicem discrepantibus. Tentatorem Protoplastorum Caco-
dæmonem fuisse, pro certo habendum, quicquid etiam nonnulli interpretes con-
tra communem consensum ex nimio singularitatis & falsi literalissimi studio
dubitent aut fluctuent. * Nervose COCCEJUS: *Serpens cum muliere lo-
cutus est, & falsa locutus fuit. Id signum est, angelum defectorem fuisse ten-
tatores. Neque enim per serpentem loqui potuit, nisi Spiritus; neque menda-
cium loqui, nisi Creatura, & jam mala, & sic πνεῦμα πονηρὸν, quod in verita-
te non constitit, ut est Job. IIX. 44. Hinc Spiritus impurus nomine serpentis
venit, Es. LXV. 25. Apoc. XII. 9. XX. 2. *** Hac occasione delabuntur in-
interpretes ad illam quæstionem: Num id primum peccatum fuerit angelicum?
*Neque enim constat, ait COCCEJUS, an ullum prius fuerit Diaboli peccatum,
quam mala illa voluntas, qua ipsum impulit ad mentiendum homini, ut eum
occideret? & valde in eam sententiam inclinatur Vir ille Doctus, quamvis mo-
deste propositam, eaque mente post eum alii quoque fuerunt. **** Siquid
iudico, nihil per se mali in ea est, nec tamen mihi admodum vero videtur
similis. Sunt, qui temperamentum afferant, dicantque, tentationem & se-
ductionem hominum primorum fuisse lapsus Diaboli consummationem,
quam plena demum maledictio secuta sit. Verum satius existimo de his ta-
cere, quam incerta incertis cumulare. Porro serpentem quendam naturalem
instrumentum fuisse Caco-dæmonis in seducendis Protoplastis, si literam respi-

I 3

- * Nimis Scepticum hoc loco se præbet JOH. CLERICUS *Comment. ad Gen. caput
III. p. 24. seqq.* etsi enim hæc dubitatio speciem habeat iuxta moderationis,
illa tamen eo modo, quo alias in pudore excedi posse nos Germani dicimus,
nimium quantum extendi potest.
- ** *Summ. Theolog. Loc. XI. Cap. XXVI.* quod Caput multis aliis Viris Doctis
textus loco inservit in hac materia, quem suis observationibus vel confirma-
rent vel emendarent.
- *** Duos hic tantum allegabo Theologos; JOH. MARCKIUM, qui in *Hist. Pa-
rad. p. 587.* scribit, forte lapsum angelicum nonnisi circa ipsum tentationis tem-
pus contigisse; & ISAACUM JAQUELOTUM eundem in modum dissentientem:
*On ne connoit pas, quel fut ce premier péché des anges: mais on peut croire, que
ce fut un mouvement d'orgueil, d'ambition, & d'envie. Peut être même seroit-
ce la tentation, ou il exposa le premier homme, puisque la sentence prononcée con-
tre le serpent doit être proprement considérée comme la condamnation du Tentateur,
& que d'ailleurs toutes les qualitez, qui sont données au Diable dans l'Ecriture
Sainte, sont prises de l'Histoire de la première tentation. Quoiqu'il en soit, on
n'en sauroit parler, que par conjectures. Conformité de la revelation avec la rai-
son. p. 183. seq.*

ciamus, satis clare sacra definire videtur Historia. Nec ullum video operæ pretium, si nobis res sit cum aliquo, qui scandalum ex opposita sententia conciperet, cur in hac opinione sua turbari debeat, habet enim ea fundamenta, quæ nos ipsi veneramur. Quodsi vero agendum sit cum quodam empæcta, qui propter hanc circumstantiam in ludibrium vertit Scripturam, vel exagitat Theologos, & multa garrit in contumeliam hujus partis narrationis Mosaicæ ex historia & natura animalium, magna cum *σοφίας* sapientiæ, tunc certe curandum esse existimo, ut cogatur is sudare probando tanquam rem certam & exploratam, quod serpens naturalis a Mose intelligatur, priusquam ludos inde sibi aliisque faciat. Contraria enim sententia, quamvis communis non sit, tam speciosis tamen nititur rationibus, * ut similes nec pro centesima figmentorum suorum parte Libertini possint adducere. Quod non eum in finem dico, ut, quod plerisque interpretibus hic placet, rejiciam: sed ut ostendam, si ad summam speciem argumenta sua evexerint hi homines, vel ipsam rationem postulare, ut, si alterutrum horum necessario esset eligendum, serpentem potius naturalem ex Historia sacra expungere malint, (quod & alii faciunt, qui Scripturam reverenter habent) quam utilius causa tori Historiæ sacræ convitium faciant. Ponamus autem, serpentem instrumentum fuisse tentationis, & venerationem Scripturæ, ut hoc credamus, nos adigere, nemini tamen vitio verti debet, si nolit se miscere questionibus magis curiosis, quàm necessariis, etiam magnos & graves Autores habeant. Non putem, incertas ex historia animalium narratiunculas, vel ex conjecturis formatas de serpentis natura, figura primitiva, proprietatibus, & adjun-

* Multis rationibus communem sententiam oppugnat Vir doctissimus, CAMPEGIUS VITRINCA ad Cap. XII. Apocal. v. 7. - 12. p. 542. seq. edit. noviss. Non nescio, inquit, vulgo sic existimare homines, verba historia, quibus Serpens comparatur cum animantibus agri, huic opinioni favere, sed sane absque ratione. Oportuit enim Historicum allegoricam hanc orationem ita instruere, ut inter illius partes aliqua esset analogia, ac proinde, si diabolus appellare vellet serpentem, res intelligentes alias ejusdem generis & naturæ, quibuscum Diabolus comparare voluit, non potuit non exhibere sub emblemate animantium agri, suntque in sacris autoribus similia exempla, & in profanis infinita &c. Ceterum monet, alienum esse a ratione & more loquendi gentium, ut Satanus serpens ab instrumento serpente denominetur: Non esse dubitandum, quin in initio narrationis hujus historicæ idem sit intelligendum per Serpentem, quod in progressu: Atqui in progressu orationis per serpentem solum intelligi Satanam &c. Idem in erudita Dissertatione sive Schediasmate de Serpente non punito cum Satana JOH. CHRISTOPH. ORTLOBIUS probare conatus est, atque eo nomine in hac disputatione cum profanis ad minimum καὶ ἀνδεῶν instruenda conferri meretur.

adjunctis opiniunculas multum conferre ad abigendos empæctas, & illustrandam tentationis Paradisiacæ Historiam, cui, quomodo illæ quadrent ubivis, non facile perspicitur. Nollem multum hic tribuere Seraphicæ cuidam apparitioni, quam Archiep. TENNISONUS hic ceteris omnibus prætulit opinionibus, * aut præviam quandam familiaritatem & commercium singulare hominum cum serpentibus statuere, quod Scriptoribus aliis insignibus placuit. ** Quicquid horum sit, ea tamen omnia a veritate primaria sacre Historiæ longissimo intervallo disjungenda sunt. Sed progrediamur ad alia. In colloquium sive commercium familiare Evam cum tentatore descendisse, adeoque ejus præsentiam non admodum exhorruisse, ex Historia Mosæica tuto credere possumus. Hic certe etiam religiosi hominis mentem subire potest admiratio quærens & scrutans causas eventus hujusmodi, nunquam tamen illa catere debet modesta reverentia silentii Scripturæ, quæ omnia nostra dubia vel unius aut duarum circumstantiarum indicio vel prævenire potuisset, vel dispellere, si ejus Autori placuisset. Qui sapientiam aut illuminationem Evæ hujus facti occasione imminuunt, eamque mirifice simplicem statuunt, eligunt pejus morbo ipso remedium, h. e. responsionem ipso illo dubio, quod solvendum erat, deteriorem. Qui dicunt, forte Evam lapsum angelorum nescivisse, sique ad audiendas tentatoris voces eo minus diffidentem se præbuisse, *** nihil absurdi per se proferunt, sed tamen rem incertissimam pronuntiant, cujus oppositum forte est multo probabilius. Qui cogitant de familiari Protoplastis commercio angelico, cui & hic se indulgere putaverint, & tanquam Legatum Dei Tentatorem acceperint, **** pro illis docti

* Apud JAC. SAURINUM, Theologum ex eloquentia & eruditione apud Belgas æstimatissimum, in *Discours historiques, Critiques, Theologiques & moraux sur les evenemens les plus memorables du vieux & du nouveau Testament T. I. Discours III. p. 39. seq.*

** Hac de sententia evolvendus est præ aliis PETRUS POIRET Oecon. Divin. T. III. Cb. XII. p. 213. seqq. quamvis ille, se aliunde hoc, quicquid est, mutuum esse, non distineat. Nec opus est plures in rem istam Scriptores adducere.

*** Id autem, inquit CALOVIUS noster, ignoravit Eva (nim. obsessionem Sathanicam) quæ videtur de lapsu angelorum adhuc nihil scivisse. Bibl. Illustr. ad Gen. III. p. 241. Ex Reformatis adduco LEYDECKERUM Verit. Evang. Triumph. T. II. L. II. C. IV. p. 154. Sine dubio, ait, lapsum angelorum adhuc ignoravit, ut non præsumeret, hunc serpentem mali Spiritus vi & opera loqui. &c.

**** Placet hæc cogitatio magno Theologo, J. C. DANNHAUERO. Sic enim in *Hodosophia*, quæ nobis in pretio est, loquitur: Ratio Evæ arbitrium sibi sumpsit a Deo ad seipsam conversa, probat posterius verbum persuasa cum opinione divi

docti & celebres stant Autores, nec proflus eos destituit verisimilitudo: certa tamen & demonstrata non proferunt. Tutius igitur est fateri, quod nos rationem hujus circumstantiæ liquidam & specialem reddere nequeamus. Porro conjici solet ab interpretibus: Tentatorem adortum esse mulierem, tanquam infirmiozem, nec improbabile hoc est; quod vero nonnulli addunt, ideo mulierem facilius adoriri potuisse tentatorem, quia ex ore non ipsius Dei, sed Adami interventu interdictum de arbore vetita acceperit, id ultra qualemcunque suspensionem non assurgere arbitror: contrarium enim æque verum esse potest, quamvis frustra de eo contenderetur, quod unice a divina revelatione dependet, quæ nos hic destituit. Pergimus. Tentationem ipsam totumque illius processum brevibus verbis Moses descripsit, utrumque autem multis paraphrasibus amplificaverunt interpretes, quæ omnes pari credulitate amplectendæ non sunt. Cavendum præcipue, ne hæc tantum verbis externis & frigido colloquio peracta esse credamus: quin potius ex *μεθοδεως* Sathanæ reliquis, quas observat in perdendis hominibus, recte concludimus, non sine impetu quodam falsi luminis & virium infernalium Protoplastorum intima invasisse Tentatorem, maxime postquam aditum ei propiorem sua culpa concesserunt; quod vel hoc nomine observandum, ne vim tentationis istius præter veritatem extenuemus, a quo vicio sibi non satis diligenter cavent, qui oculos ad ostendendam lapsus gravitatem intentos habentes eam hoc quoque titulo accusant, *quod non nisi per levissima motiva & crasso artificio tentati fuerint*, * quamvis de cætero non existimandum sit, simplex ideo peccatum infirmitatis, aut excusabilem quandam ex robore tentationis transgressionem fuisse, quæ totum Protoplastorum statum, imo statum totius mundi spiritualis & corporei cum ipsis combinati infelicissime simul ac validissime mutavit. Utrumque extremum hoc loco studiosissime declinandum est. Sunt, qui dicant, *Diabolum ex eo, quod Eva ignoraverit finem, propter quem Deus ipsi arbore scientiæ*

divinitatis illius Verbi, qua prius verbum correctum revocetur, ac per angelum bonum in serpente tanquam oraculo loquentem reveletur, quale quid etiam Prophetæ 1. Reg. XIII. 18. accidit. Hodof. Phenom. IV. p. 340. Idem statuunt ex Ref. BURMANNUS, COCCEJUS, LEYDECKER, VITRINGA & alii. Conf. etiam omnino JOH. MARCKIUS, in laud. *Historia Paradisi* L. III. C. VI. p. 599. seq.

* Cum grano igitur salis intelligere oportet verba JAC. BANAGII, cum is ait: *Dieu defendit à Adam de manger le fruit de ce dernier arbre; ce fut la toute l'obéissance, qu'il exigea de lui: il étoit aisé de la rendre. On ne pouvoit être tenté de violer une loi si facile & si proportionnée aux forces de l'homme, que par des motifs très-legers, & par un artifice grossier.* *Hist. de la Bible*, Edit. Genève. Tom. I. pag. 18.

*scientia boni & mali interdixerit, occasionem arripuisse ad falsos & spurios ei affingendos.** Id incertum esse arbitror. Licet enim specialiores interdicti causas Protoplasti nescivissent, poterat tamen ipsis pro ratione abstinentiæ interdictum ipsum, & adjuncta illi comminatio, prorsus sufficere. Quærent porro: An Tentator dicens, *illos haud morituros &c.* odium atque invidiam Dei erga homines demonstrare voluerit? idemque communi prope consensu affirmant. Non placet hæc interpretatio JO. COCCEJO, ** cuius mentem & hic sequitur, ut in tota fere paraphrasi hujus Historiæ, cum alias plerumque ab illius sententiis discedere soleat, LEYDECKERUS.*** COCCEJO autem in gratiam receptæ exegeseos contradicit MARCKIUS, existimans, *satis durum esse, tam dure disputare adversus acceptam communiter ab ævo absque rei Christiana detrimento opinionem.* **** Tota quæstio huc redit: an astutiam & reclinæ rei suæ magis profuturas putaverit Diabolus, quam impudentiam & vim apertam? Quidni dicere liceat: fuisse eum primò astutum, deinde impudentem, ut hic ordo solet esse Satanicus, maxime apud homines sibi nondum devotos, sed in nassam suam sensim sensimque pertrahendos. De reliquo probamus, quæ VI-

K.

TRINGA

* V. SAURIN. l. c. p. 35.

** Multis verbis contra eam disputat COCCEJUS. Judæi, inquit, commentantes in verba serpentis, ea sic interpretantur, quasi Deo odium & invidiam societatis attribuisse. Quas ego commentationes credo a Spiritu mendacii esse profectas, ad tegendum suum stratagemam, quo mulierem decepit, ne vel nunc artes illius sentiamus, aut caveamus. Quodsi mulieri persuaderi potuit, beatitudinem suam & vitam a frutice pendere, ita ut Deo invito illam consequeretur, & retineat, quid stultius ea potuit excogitari? Talis igitur opinio non facit, nisi ad deidendam Scripturam, & opus Dei. At Satanas aperte Deo tribuit sapientiam, sanctitatem, & felicitatem, quando eum proponit, ut eum, cui infelicitate sua per usum pomi consequenda sint assimilandi. Hoc vero non est Deo invidiam, & odium similis impingere. Summ. Theol. p. 307.

*** Verit. Evang. Triumph. l. c. p. 155. seq.

**** Laudatus Theologus, JOH. MARCKIUS, qui ubique in scriptis suis insignibus legit vestigia COCCEJI, sive ut ea approbet, sive ut super iis suam dicat sententiam, idem quoque in egregia sua Historia Paradisi præstitit. Nullam, inquit, rationem videmus, cur vel Satana tentantis, vel hominum seductorum peccatum minus grave aut atrox esse velimus, quam illud ex Mose deprehenditur & colligitur fuisse. Et scuti ineptissime creditur, homini in integritate perstanti hoc nequivisse persuaderi, quod ex usu fructus vetiti & quidem Deo invito posset ullo modo provenire summa sapientia & similitudo cum Deo, quod Deus invidus esset: ita nihil horum est adeo ineptum, ut id homini male attendenti ad Satanam, a Deo se abalienanti, & in lapsum jam ruenti celeri impetu, non potuerit a Satana in rem suam commode insinuari, & ab ipso stultissime admitti. V. & reliqua Hist. Parad. L. III. C. VI. p. 621. seq.

TRINGA haber: *Quod, ait, quocunque modo voluerit intelligi: sive, Deum, cum homini summam invideret felicitatem, vel hactenus saltem ob qualescunque rationes eam ipsi negaret, id quod falsum erat, homini persuasisse: vel hominem verum sensum verborum Deirecte non percepisse: utique audacter & sidenter mentitus est.* * Promisit Protoplastis Tentator, eos futuros sicut Elohim, quod nonnulli ad angelos referunt, ** sensu hoc loco non usquequaque probabili, quia Deus ipse eodem capite similitudinem istam ad se potius refert, quàm ad angelos, sive de præsenti hominis lapsi statu, sive de præterito hæc verba intelligi debeant, de quo in præsentia non disputabimus. Rectius intelligitur illa promissio de provectissimo gradu similitudinis sive imaginis divinæ, quantum illa in creaturas cadere potest. Hinc nolim vel ex mente tentatoris, vel ex tentatorum animo ac intentione directa dicere, eos propositum forte habuisse eripiendi Deo supremum ejus dominium atque omniscientiam. *** Addit THEODOR. HACKSPANIUS: Tentatorem monstrasse Protoplastis viciniam arboris vite, quasi diceret: Non est, quod verearis tantillum, nedum mortem: ecce enim tibi arborem aliam, sc. vite, qua tibi ejusmodi vitam conciliare potest, qualis vel ipsi Deo tribuitur. **** Contra de his cogitatis confidenter pronuntiat MARCKIUS, ea non aliud, quam figmentorum nomen mereri, manifestum enim esse, serpentem hic loqui de eo, quod ab arboris scientiæ esu absque ullo alio esu interveniente non erat metuendum, unde ex adverso bonum debeat expectari. ***** Nos & priorem sententiam, & hoc MARCKII adversus eam dubium suo loco merito relinquimus. Denique non Evam solam peccasse, sed & maritum seduxisse, tristis circumstantia est hujus Tragœdiæ a sacro Scriptore minime neglecta. Quomodo hoc factum sit, aut fieri potuerit? scire mallent homines, quàm nescire. Severam autem in eum pruritum censuram exercet COCCEJUS. Hic, inquit, humana curiositas exultat & querit: quomodo Adamus adductus fuerit, ut comederet? Numquid per easdem rationes, quas serpens suggererat mulieri? an quod viderit Evam necdum mortuam? an quod putaverit

* Doctrina Christ. Relig. C. LX. §. 15. p. 156. seq.

** V. JOH. CLERICUS ad h. l. p. 28. SAURINUS l. c. p. 36. MARCKIUS l. c. p. 611.

*** V. SAURIN. l. c. p. 43. Quelquefois un motif epuré produit une action impure, & l'amour meme de la vertu est quelquefois ce, qui nous en éloigne. Ici l'action est aggravée par le motif. C'est l'orgueil, c'est la vaine gloire, peutetre c'est le desir de ravir a Dieu sa Souveraineté, sa toutescience, son eminence sur la creature, ses titres les plus sacrez & les plus incommunicables, qui animent cette femme.

**** ad Gen. II. ***** l. c. L. III. C. VI. p. 608.

rit esse peccatum veniale? an quod non voluerit uxorem suam contristari? Oblivitas animi nostri est, omissis iis, ad quæ scrutanda nos conscientia impellit, animum languentem & famelicum καὶ ἐλεεινὸν sive curiositate pascere. * MARCKIUS nimium rigorem COCCEJI reprehendit, doctæque in hanc causam inquirat. ** JAC. BASNAGIUS observat: non magis pudendum fuisse vinci a Demone sub figura serpentis, quàm femina tam facile cecidisse. *** Ceterum, inquit GURTLERUS, divina moderante sapientia accidit, quod homo uterque mandatum Dei violavit. Quid enim si Eva peccasset sola, liberine sancti an corrupti fuissent nati? Matrisne lussent culpam, an accepissent premium Patris? **** Nos, quamvis fecunda disputationis materia hic nos sollicitet, in simplicitate testimonii Scripturæ S. acquiescimus. Si quis tamen modestas & ad salutares usus directas meditationes pio ex fine malit addere, ei hanc libertatem vitio nullo modo vertimus. Verùm in medio cursu cogimur hæc vela nostra contrahere, ne nimis prolixi simus. Id unum addimus, neminem magis decere, quàm Theologum, aut Ministrum Ecclesiæ, ut diligenter & religiose expendat, quàm necessarium sit in gravi & ad conscientias hominum directa Scripturæ S. explicatione summam rei probe distinguere a cogitatis accessoriis, atque ab arbitraria, quamvis animo non malo facta, amplificatione circumstantiarum prudenter se continere, nostro maxime tempore, quo nec expresso atque irrefragabili Verbo Dei amplius credunt homines, nedum consequentiis aut conclusionibus longius petitis, non necessariis, dubiis, sæpe etiam falsis. Q. E. D.

§. 20.

Ex sinu Theologiæ moralis seligimus doctrinam de libertate creaturarum intelligentium, utpote quam maxime cognatam dogmati de Providentia circa malum, cui aliquot hæcenus pagellas impendimus. Veram liberamque facultatem agendi, vel non agendi, agendi hoc aut illud, admittendi rejiciendique objecta sibi oblata in quovis homine existere, solidissimis rationibus certatim probatum dederunt Philosophi atque Theologi, petitis ex invitatione hominum ad liberam electionem vitæ & mortis, ex rationibus agendi ordinariis Dei ipsius cum hominibus per adhortationes, præcepta, fœdera, comminationes,

K 2

promis-

* *Summ. Theol. C. XXVII. p. 309. seq.* ** *l. c. L. III. C. II. p. 524. seqq.*

*** *Histoire de la Bible T. I. p. 20. Conf. Sauriniana verba: Elle croyant déjà être en possession de cette félicité chimérique, dont le Démon l'avoit bercée, elle alla inviter son mari de la partager avec elle. Les discours les plus absurdes paroissent sensés, les desseins les plus injustes paroissent émaner du sein de la justice même, quand c'est une personne, que l'on aime, qui les propose &c. l. c. p. 36. seqq.*

**** *Institut. Theol. p. 153. Edit. Hal.*

promissiones, adjutoria &c. ex natura amoris, generosi maximè & puri, ex rejectione vel admissione æqualis etiam gratiæ a diversis hominibus, vel ab eodem etiam homine, at diversis vicibus, facti, ex sensu communi eorum, quæ quisque per conscientiam sui ipsius suarumque actionum intra seipsum experitur, aliisque pluribus, quæ adducere opus non est.* Nemo est inter Christianos, qui directis conceptisque verbis negare audeat libertatem, ne illi quidem, qui in suspensionem quandoque veniunt, apud eos protestationem ipsi facto esse contrariam, omnes enim hujus doctrinæ summam & fundamentalem agnoscunt necessitatem contra Atheos, Libertinos, Spinofistas, Fatalistasque alios varii generis. Interim non parùm dolendum est, quod rem per se clarissimam, & sensu communi cum doctorum tum indoctorum quoad fundum rei liquidam, summas in tricas omnium temporum Eruditi conjece-
runt,** quod non raro, & variis de causis, & contra officium suum faciunt. Si causas quasdam confusionis, quæ specie explicationis regnat in hac materia, indagamus, intellexisse nobis videmur, eo pertinere multiplicatas præter necessitatem definitiones & sensum variegatum terminorum,*** confusio-
nem

* Placet hic mentionem facere B. nostri HOCHSTETTERI, occasione *Colleg. Pusend. p. 60. seqq.* Eum & hoc loco eligunt veritas, amor, veneratio, memoria benedictionis per hunc canalem a Deo plus simplici vice in me derivatæ, & plures aliæ causæ, quas Domino sacras esse volumus.

** Possumus certo sensu hic nostra facere verba SIM. EPISCOPII, quæ is in *Tr. de L. A. C. I.* protulit. Amo, inquit, simplicitatem ingenuam; ambitiosam subtilitatem odi. Ab hac ad illam divertendum aut redeundum esse arbitror, si ex labyrintho hoc aliisque quàm plurimis exire velimus. Simplex est veritatis oratio. Eam si ex Dei verbo, si ex trivio; imo ab ipso communi vulgo petas, nulla restabit difficultas solvenda. Ex Schola orta est omnis hæc difficultas, meo quidem judicio. In illa enim nati & fabricati sunt termini quidam dialectici, & operose distinctiones, quæ materiam litigandi primam præbuerunt, & occasionem dederunt in dubium vocandi, quod alioqui clarum erat, & sua luce splendebat. Propter hoc bellum bodie est inter doctos. Tolle illos, & pax erit, ac sublata omnis difficultas. *Opp. T. I. Part. post. p. 199.*

*** Ille dicit, libertatem esse absentiā impedimentorum: iste vim quandam animi se ipsum hic & nunc ad agendum determinandi: alii esse lubertiam animi, s. facultatem sponte & lubenter agendi; alii esse facultatem sequendi rectum intellectum; alii esse potentiam faciendi, quod fieri debet; alii esse libertatem a coactione, sed non a necessitate. alii esse facultatem s. vim animæ per propriam electionem ex duobus aut pluribus æque possibilibus id ipsum eligendi, quod ei maxime placet. &c. Alii esse independentiam voluntatis a necessitate externa absolutâ. Alii, qui in re ipsa consentiunt, malunt vel a vocabulo indifferentiæ abstinere, vel eodem quàm maxime utendum esse censent. Et si vero pleræque hæc definitiones quoad summam rei eodem redire videantur,

nem spontanei cum libero, item libertatis physicae & creaturae intelligentis naturae intime infixae cum libertate morali aut spiritali in sensu Biblico,* confusionem naturae libertatis intrinsecam cum adjunctis vel impedimentis naturalibus, moralibus & spiritalibus ejusdem in actuali exercitio usus vel abusus circa objecta ipsi occurrentia constitutae,** confusionem rationum moventium vel suadentium cum ipsa determinatione voluntatis libera, & ex proprio hujus fundo profecta,*** figmentum indifferentiae pleni aequilibrii ad bonum & malum,**** controversias Praedestinarianas, Ecclesiae maxime Re-

K 3

formatae

tur, certum tamen est, multas ideas a suis Auctoribus illis permisceri, quae radiolam evolutionem tandem exposcunt, nec ubique maligna carent influenza, siquidem ita loqui liceat.

* Confusio spontanei cum libero in controversiis cum Reformatis praecipue observatur: confusio autem libertatis physicae & spiritalis in disputationibus PP. cum haereticis antiquae Ecclesiae: item in controversiis Pelagianis: nec non in certaminibus Pontificiorum cum Protestantibus de libero arbitrio. Etiam illud observari velim, Deum in electione boni sponte agere, non vero liberè, Impeccabilitatem angelorum & beatorum in statu confirmationis non tollere libertatem physicam, eorum enim natura & essentia non mutatur, sed esse donum gratiae. Quod voluntas in genere nonnisi in bonum, s. verum, s. apparens, in genere tendat, hoc sponte fieri, non liberè. Qui igitur haec exempla contra libertatem indifferentiae objiciunt, a notata confusione liberi & spontanei, libertatis physicae & libertatis gratiae sibi, ut par est, & necessarium, non cavent.

** Adjumenta illa vel impedimenta diversos creaturae liberae status respiciunt, nec a quopiam jure negantur. Enimvero non de his, sed de ipsa essentia & indole nativa ipsius libertatis in se spectatae, s. de ipsa facultate libera voluntatis quaestio est, non de eo, quomodo in exercitio illius juvari & impediri possit, aut soleat?

*** Rationes moventes pariter nemo negat: maxime si ipsa etiam irrationabilitas in agendo & eligendo in numerum rationum admittatur. De hoc quaestio est: quid facultatis adsit per libertatem secundum illas rationes agendi vel non agendi? & an rationes illae moventes sint praevalentes & victrices ante consensum voluntatis liberae seipsam ita tandem determinantis, ut, si voluisset, in oppositum quoque potuisset determinare?

**** Figmentum diximus istam indifferentiam aequilibrii ad bonum & malum, quia vel de illis ipsis, quibus praeter ceteris attribuitur, dubitare fas est, an eam serio & hoc sensu doceant? *Tent. Theod. p. 328. §. 330.* Duo interim hic observamus, quorum primum est, & hanc indifferentiae speciem rationibus falsis nonnunquam impugnari, inter quas non postrema est: fieri non posse, ut in rebus etiam per se indifferentibus vel voluntati saltem humanae ejusque inclinationi indifferentibus plura objecta ipsi occurrant aequalia, quorum unum eligi possit aequè ac alterum ex beneplacito. Secundum est, quod injustum sit, sub larva & specie aequilibrii illius in bono & malo sanam & necessariam de indifferentia libertatis doctrinam traducere atque eliminare.

formata, exasperatas deinceps per mixturam Cartesianismi & Pajonismi. Quibus omnibus pejus adhuc fermentum miscuerunt venenatae disputationes Atheorum & Libertinorum, & affectata sapientia Spinosæ, Hobbesii & similium, Scepticismus Bælianus, & nuperæ tandem de Origine Mali controversiæ perniciosissimæ. * Cum vero hæc omnia s. dogmatice, sive Historice amplificare hoc loco non liceat, ceteris jam dimissis liber nunc modeste inquirere in illustramenta, quibus *Author Theodiceæ* doctrinam de libertate ex principiis sibi propriis ornare & explicare sustinuit. Si protestationes illius disertas & sæpe repetitas attendamus, tantum abest, ut is libertatem, sive divinam, sive humanam labefactaverit, ut nemo potius eam tradiderit luculentius. Concedit ille intelligentiam, qua objecta cognoscimus, concedit spontaneitatem, qua ipsi nos determinamus, concedit contingentiam, h. e. exclusionem necessitatis absolutæ & metaphysicæ. Ubique repetit, & inculcat, actionum nostrarum in nobis esse principium. Refellit SPINOSAM, & qui ejus sequuntur principia, audent pro certo affirmare, ex nullo Systemate SPINOSAM perfectius refutari posse. Refellit WITTICHIIUM & alios, qui apparentem tantum libertatem statuunt. Si necessitatem admittit, sollicitè distinguit necessitatem moralem & hypotheticam, fluentem ex rationibus sapienter agendi, a necessitate bruta & cæca: dicitur, hoc tantum intendi, quod nihil sine ratione fiat, easque rationes non necessitare, sed tantum inclinare. Et ne quid desit ad omnem suspicionem labefactatæ libertatis avertendam, relicto paululum phlegmate Philosophico, quod *Authori Theodiceæ* ordinarium erat, concitator is tandem respondit, hujusmodi objectionem sibi factam ad extremum *in pertinentiam insipientem desinere*. ** Nescio vero, qui accidat, ut lectoribus extra partes, h. e. extra illam sententiam constitutis vehemens dubium statim in mentem veniat, fortisque inclinatio credendi, multa esse in hoc Systemate, quæ cum vera de libertate doctrina vel prorsus non, vel nonnisi cum summa difficultate possint legitime conciliari. Proferimus itaque hac occasione sine scrupulo nostros quoque scrupulos, quia non de autoritate magnorum Virorum, quæ per nos salva est, sed de Veritate maximi momenti quæstio est. Ante omnia hæremus in enumeratione par-

* Harum Historiarum luculenter dederunt Viri Celeberrimi, Magnif. noster Canc. PFAFFIUS in *Disputationibus suis Anti Bælianis*, & *Primitiis Tubingensibus*; ac Theologus hodie Hamburgenfis, JOH. CHRIST. WOLFFIUS in *Manichæismo ante Manicheos & in Christianismo redivivo*; quorum opera igitur & nos hic frui possumus.

** V. *Scripta amœbæa* inter LEIBNITIIUM & CLARCKIUM vers. Germ. p. 91. Will man nun dessen ungeachtet meinen Sätzen die Lehre von einer unüberwindlichen Nothwendigkeit bey messen u. so wird dieses auff einen unverständigen Eigensinn hinaus lauffen.

ne partium ad libertatem plenam & perfectam pertinentium. Sunt istæ ex mente Autoris intelligentia, spontaneitas, contingentia. Quam alii tanquam partem primariam & essentialiam libertatis requirunt, indifferentiam scilicet positivam & activam, eam ut irreconciliabilem cum suo Systemate magno conatu ubivis rejicit ac repudiat. * Quod attinet ad intelligentiam, non urgebimus hoc loco, eam in hac Philosophia longe aliter describi, atque fieri solet in communi doctrina: sed id unum dicemus, cum ea sit conditio & requisitum subjecti liberi potius quam libertas ipsa, aut pars libertatis, istam confessionem intelligentiæ hætenus naturam libertatis non declarare: id quod etiam de spontaneitate dicendum, quia spontaneum a libero longe differt, dùm ea quoque sponte agimus, quæ libere nos non agere, imo, quæ a Creaturis ratione destitutis fieri, undique in confesso est. Contingentia verò sive non-necessitas absoluta & metaphysica substantiis intelligentibus cum rebus creatis ceteris communis est, &, nisi principium aliud internum libere se in hanc vel illam partem determinandi, h. e. ex communi formula loquendo, indifferentia activa sive positiva adjungatur, hominem nequaquam facit aut constituit liberum. Deficit igitur in hac definitione anima & forma libertatis veræ, hoc est, libertas ipsa. Odiosius loquerentur, qui ne contingentiam quidem salvis hujus Systematis principiis, nisi in aliis mundis revera Deo impossibilibus, locum habere posse, objicerent. Sed nùm etiam falsa essent dicturi? ulteriori examini merito reservamus, atque interim in schemate dubitationis modestæ, at sinceræ, prudenter subsistimus. Deinde non sine gravi ratione, (quæ ad minimum Theologo de tuenda libertatis doctrina momentissima etiam propter Deum & conscientiam sollicito præsidio esse potest adversus morosissimos censores) suspensi tenentur animi, cùm in novo hoc Systemate observant, (quomodo-cunque ex prudentiæ titulo, & ex serio, quod confidimus, absurdorum in sententia contraria apparentium metu, jura libertatis conserventur, ac defendantur,) totum mundum optimum, i. e. eum solum, qui re ipsa potest ac debet existere, in sua essentia & idea ab æterno fuisse a voluntate divina independentem, hancque, licet existentiam ei dederit per decretum, alia tamen ratione dare non potuisse, indeque in rerum constitutione nihil immutare, easque, quales in statu puræ possibilitatis erant, relinquere, atque adeo omnia & singula, quæ eveniunt, a maximo usque ad minimum, a brutis usque ad intelligentia, ab humanis usque ad divina, nihil esse aliud, quam evolutiones & consecutiones infallibiles eorum omnium, quæ ad essentiam mundi optimi a Deo observati, non constituti aut facti, sua natura pertinent. Si dicatur, Deum hæc omnia prævidisse, quantum ad Creaturas intelligentes spectant, ut libere futura: fatemur quidem id per se verum esse; sed, quo-

* *Tentam Theod.* p. 301. *segg.* & locis quàm plurimis per totam *Theodicæam* diffusis.

quomodo huic formæ docendi conveniat? obscurum & dubium est. Quæ ratione Deus prævidere potuit tanquam libere futurum, quod nunquam re ipsa futurum erat liberum? ut adeo tota hæc disputatio in voraginem circuli cujusdam delabatur, ex qua difficile est emergere, nisi asserta ea libertate, quam *Theodicaa* fortissime negat.* Porro insidias struit, & ruinam parat libertati veræ, qui argumentum ex conscientia mentis & sensationis nostræ internæ petitur, quod hic plane excellens est, enervat & subruit.** Miror, eos, qui sterili & ideali ratiocinationi, quæ omnium perceptionum humanarum infima & impotentissima est est, (si sola consideretur) immensum quantum tribuunt, sensationibus & perceptionibus realibus, per quas in natura & gratia maximas & principales veritates mentibus hominum imprimere atque insinuare solet Deus sapientissimus, tam incertis prætextibus fidem ac certitudinem detrahere.*** Sentient aliquando Viri docti, se hanc viam ineundo commendandoque longius procedere, quam vellent ipsi, si exitum, vel saltem, illius præludia distinctius & plenius iisdem experientia repræsentaverit. Contrarium egregie demonstrasse BÆLIUM, paulo confidentius, quam par erat, asseritur.**** Cujus tamen ratiocinationes sunt pluma leviores, atque eius conditionis, ut alii Viri Docti eas tanquam Spinosianis contra libertatem nugis parallelas serio solideque refutaverint,***** id quod hoc loco non parum nostrum auget & roborat præjudicium. Sed pergitur. Quam suspectum est in Autore perspicaci, qui nil nisi proverbialia sententias & apophtegmatata fundit, cum audet asserere: *Si res ipsa spectetur*, NB. *solis Hobbesii & Spinosæ affectus exprobrandam esse libertatis & contingentie destructionem, hos enim arbitrari, id, quod evenit, esse solum possibile, & Geometrica brutaque necessitate evenire debere*?***** Eximendi igitur sunt ab hac culpa BRADWARDINUS & WICLEFUS, eximendi omnes, qui libertatem a sola coactione, non vero a necessitate, immunem prædicant, eximendi ipsi præmotionis aut prædeterminationis defensores, quos omnes

* *Egregiam libertatem* (sic rectissime in simili prope casu exclamat POIRETUS) quæ erga extremorum alterum exerceri non potest, quin Dei omniscientiam & objectorum omnium catenationem ab illo dispositam evertat. Tr. contra Pungel. p. 319.

** *Tentam. Theodic. p. 103. seq. 304. seqq.*

*** Alibi prætenditur ex studio probandi dogma summe controversum, nihil esse anima nobis notius, utpote quæ nobis, i. e. ipsa sibi intima sit. l. c. p. 110. Cur hic conscientia nostri tam liquida est, nec tamen pariter certa circa sensum libertatis? Utinam nemo hinc accipiat occasionem suspicandi nasum cereum, quem Docti flectant pro lubitu. Avertat Deus frequentiam & damnum hujusmodi exemplorum.

**** *Tentam. Theodic. p. 307. seqq.*

***** V. La PLACETTE *Eclaircissement sur quelques Difficultez, qui naissent de la consideration de la liberté nécessaire pour agir moralement* p. 328. seqq.

***** *Tentam. p. 359. §. 371.*

omnes ab HOBBSIO & SPINOSA quoad præsentem materiam immenso intervallo Theodicæa sejungit. Nos certe, cur justam & cordatam Theologorum censuram in istorum Scriptorum sententias deferamus, nullam rationem solidam afferri videmus. Liceat & illud quærere: Cui fini inserviat disputatio, quæ probet, *etiamsi necessitatem absolutam & mathematicam haberent actiones voluntaria, superstitem tamen fore imperfectam libertatem, suffecturam ad præmiorum pœnarumque justitiam & aequitatem sanciendam?* * Si hæc observatio destinata est ad demonstrandum, quod ratio petita à præmiis & pœnis nos de libertate haud solide convincit, cur ergo credamus, eos veritatem istam sartam tectamque cupere, cujus firmissima fundamenta ipsis nullo loco sunt & pretio? Quodsi autem id non intendunt, cur se ipsi sine necessitate exponunt huic scandalo, & cogunt lectores etiam invitos ad ingratam suspensionem vel minus solidæ ratiocinationis, vel erroris absconditi? Dubia reliqua, quæ ex sententia de rationibus jam ante consensum voluntatis semper & ubique prævalentibus, deque causa tantum finali apud substantias intelligentes efficaci, nec minus ex nimis longe producta similitudine bilancis & avtomati, maxime vero ex difficultatibus circa peccata, quæ a voluntate humana per instrumentum corporis committuntur, similibusque titulis peti possent, prudenti Lectori meditanda & ponderanda relinquere cogimur, ne prolixitas insolita vitio nobis vertatur.

§. 21.

Speramus, non ingratum fore, si ex promptuario Theologiæ casualis paucula quædam seriis & Christianis hominibus expendenda proponamus. Primum inculcamus discrimen gravissimum, quod inter homines in paroxysmos adversus providentiam & vias Domini delapsos sæpe intercedit. Sunt, quos malitia, petulans neglectus gratiæ divinæ, superbia, curiositas maligna, & aliæ hujusmodi causæ præcipitant, & alliciunt in retia Satanae. Sunt & alii, qui culpa non quidem vacant: nec tamen ex principio directo plenæ deliberatæque malitiæ abripiuntur in hunc vorticem, cautius mercaturi, si eas profunditates Satanae acutius inspexissent. Sunt hic & seductores & seducti, quorum illi sunt vera Satanae instrumenta, ad quorum animos is tam singularem accessum non haberet, nisi infelicior & abominabilior esset status animæ eorum, quam in oculis hominum nonnunquam exterius apparet. Seducti autem (si forte eos excipiamus, qui γήστοι fiunt priorum discipuli)

L

ingenti

* Tentam. Theodic. p. 115. seqq.

ingenti saepe intervallo ab iis distant. Sunt etiam, qui in statu tentationis divinae & Satanicae in hoc cribrum incidunt. Unde patet, de variis his classibus non una ratione judicandum, quia nec Dei ipsius sententia de illis, & in eos, par aut aequalis est. Postremos maxime, & qui proxime ad ipsos accedunt, clementibus oculis adspicit Dominus, nec omnem regni tenebrarum impetum patitur in eos effundi, aut eos perire sinit in his paroxysmis, quin illos custodit, sustentat, quærit, probat, & restituit. Reliquos, in quibus tam insignis malitiæ gradus dominatur, horrenda judicia, licet non semper conspicua, expectant. Ceterum & hoc disquiri meretur: An adversus grassantem Atheismi & Libertinismi pestem, conjunctasque cum utroque vitio machinationes contra Deum & res divinas quascunque, tutius sit sine fine disputare per viam ratiocinationum, quantumvis ingeniosarum exquisitarumque: quam iisdem opponere vias simplices & efficaces, per quas solas ad vivam ac solidam cognitionem & experientiam rerum divinarum possunt homines pervenire? Posteriores sententiam verisimilem diversa facere videntur argumenta, si quis cogitet, ideas rationis, licet rectissimas, quamdiu simplices ideas manent, nec vi altiore animantur, ad vincendam erroris validissimi efficaciam raro sufficere, multas veritates antea communi consensu divinoque præjudicio ratas per has disputationes denuo quasi in problemata verti, de quibus graves autores in utramque partem probabiliter differant, operosis hujusmodi conatibus pondus & auctoritatem nequissimis adversus cælum latratibus per indirectum conciliari, quam nunquam prius habuerant: nunquam pejorem fuisse Atheismum in quantitate & qualitate, quam ab eo tempore, quo innumera ratiocinia ab omnibus prope doctis certatim illi sunt opposita: horum quam plurima consistere vel in immaturis ac prorsus dubiis cogitationibus, vel in subtilitatibus nimis longe petitis, quas pauci capiunt, vel in principiis atque opinionibus novis, quibus undique contradicitur: aut alia habere vitia his non absumilia. Quibus omnibus accedit, quod ipsa Scriptura diversa, eaque efficaciora, suadere videtur media. Interim & priorem methodum haud contemnendam esse jubet manifesta necessitas, humani ingenii indoles, objectæ alias credulitatis opprobrium, felix eventus, cum rationibus aliis, quibus jam parcimus. His singulis subductis collatisque argumentis ista saltem pro certis agnosci volumus: Methodum cordis divinam esse omnium solidissimam ac saluberrimam, eamque in conspectu cum profanis hominibus nonnisi pessime, & nunquam sine certissimo damno negligi: Viam modestæ ac religiosæ ratiocinationis huic proximam esse, revera

vera suo in ordine divina benedictione non carituram, imò ad eam ipsius Scripturæ testimonio & exemplo passim nos manuduci: cum hæc tamen confundendas non esse ratiocinationes otiosas, incertas, in immensum multiplicatas, curiosas, ingenio ostendendo magis idoneas, quam graves, solidas, & exploratas. Sæpe etiam prodesse, si profanis & audacibus empæctis silentium generosum, cordata ineptitudinis & incompetentiæ eorum ad iudicium de his rebus ferendum exprobratio, & sancta divinarum veritatum fiducia obvertatur, ut sentiant, se propter Deum & religionem nullo loco haberi, vel exiguo. Progredimur ad alia, sed paucissimis. Inter arcana Satanæ, quibus inter ipsos etiam Christianos odium peccati in Deo, & impunitatem peccandi ex parte hominum conciliare conatur, referri quoque solet distinctio inter hominem externum & internum, quasi in illo Deus abominationes extremas ferre posset, dummodo hic maneat purus & innocens. Huc crassissimo sensu redeunt principia novorum & veterum Gnosticorum, de quibus horrenda recitantur in monumentis antiquæ & recentis Historiæ. Idem crimen imputari solet Quietistis ævi nuperi, nominatim MICHAELI MOLINOSO, ut alibi copiosius ostendimus. * Non est opus, hic inherere factorum illorum examini historico, (in quo quidem veritas fabulis, fabulæ veritati sæpissime præjudicium creant, ut novissimo quodam eoque memorabili exemplo ostendi posset, si consultum esset) sed id unum observamus, cavendum esse quam diligentissime, ne distinctionem inter hominem internum & externum sensu illo Satanico & infernali intellectam temere misceamus cum experimento verissimo, quod apparet in animabus tentatis afflictisque contra voluntatem suam per insultus malorum Spirituum ad hæc vel illa peccata vehementissime sollicitantium, quæ alias toto pectore detestantur, & a quibus per veram conversionem & constans studium sanctificationis solidæ animo sunt prorsus

L 2

fus

* V. si placet, *Introd. in H. E. Tom. II. p. 537. seqq.* Factorum istorum liquidatio æternitati reservata est. Vel nuperrime tamen a Viro quodam gravi, & rerum Romanarum perito audivimus, esse ibi in Aula Pontificia Cardinalem, qui ipsi plus simplici vice confirmaverit, innocentem fuisse Molinosum, fabulas esse, quæ in specie facti de eo promulgata legantur. Interim traditionibus hujusmodi incertis modesta ingenia inniti non audent, nostro maxime tempore, quo dubium innumera facere possunt specimina, quid Dei, quid hominum, quid proborum, quid malorum causa, non dicam intra seipsum tacitè cogitare, (hoc enim ad forum aliud pertinet) sed publice affirmare aut negare, tutum sit atque integrum?

sus alienissimo. Hic certe maxime opus est, secundum iudicium expertorum hominum in animabus huius ordinis discernere hominem externum, sive partem earum sensitivam, ab homine interno, sive ab interioribus cordis, quæ a Deo custodiuntur & præservantur, ne, accedente consensu voluntatis, peccata illa hætenus extranea & hostilia in eadem immittantur, impetratoque domicilii jure omnia polluant & corrumpant: qua de re apud solidiores Practicos & Ascetas monita ac exempla leguntur consideratione dignissima. Nec minus sapienter & circumspicte de illis consiliis judicandum est, cum in certis casibus summarum, earumque perniciosissimarum tentationum, ipsius v. g. blasphemiarum contra Deum & regimen divinum, hominibus cetera religiosis dissuadetur, ne nimis turbulenta inquietudine, & oppugnatione directa huiusmodi insulsum sibi noceant, quin potius tranquilla & patienti resignatione in Domini manus armati discant importunum hostem fortius tolerare, ac feliciter abigere. Hæc præcepta si congruis subjectis, si suo loco ac tempore prudenter applicentur, rectissima & sanissima sunt. Nullum autem dubium est, ad Satánicos sceleratissimosque abusus huius regulæ pertinere, si quis ideo dicere aut docere veller, tentationibus Diaboli, imo tentationibus ad peccandum voluntariis, non esse positive vel active resistendum, neque mentem inquietandam, licet illæ impleantur & perficiantur: Sicque innocens esse, se permittere quibusvis impuris cogitationibus & voluntatibus, quæ obveniunt, nulla vi ad repellendum eas adhibita. Hoc dogma Quietisticorum monstrorum non postrema portio est, si vulgaribus de iisdem relationibus credimus, quas tamen non omni ubivis exceptione majores esse in *Historia nostra Ecclesiastica l. c.* ostendimus. Quod si postremo paucis verbis dicendum sit, quibus remediis opus esse censeamus, ne venenum petulantis Libertinismi & importunarum murmurationum contra Deum & sanctissimam illius Providentiam ultra gangrænæ instar serpat & grassetur, saltem, quod hic præcipuum est, meliores quoque animos sensim sensimque corripiat: parum certe profici existimo, nisi discant homines Scripturas S. ut Verbum Dei toto pectore venerari, lumen fidei in legitimo & humili istius usu omnibus promissum falsæ & lubricæ sapientiæ humanæ longissime præponere, experientiam sanctorum omnium sciorum temerariis palpationibus, quas in tenebris suis tentant, anteferre, fidem Deo præstare in cognitione usuque veritatum apertarum & simplicium, priusquam de illius arcanis judicare præsumant; sapientiam Christianam non

non in inflata scientia, sed in virtute religionis collocare; ab inani denique curiositate, ab audacibus judiciis, a superfluo cum profanis hominibus commercio, a Libris perniciosis ac hujusmodi veneno tinctis, ceterisque seductionis & contagii subsidiis, sibi quam diligentissime cavere. Hoc si nolint, viderint ipsi, num meliorem certioreque medicinam in promptu habeant contra id malum: vel an ipsis morbus ipse magis arrideat placeatque?

§. 22.

Ad extremum proposueramus animo nostro, pauca quædam ad Historiam spectantia, eaque pariter cognata prioribus, ceteris, quæ hactenus diximus, adungere, cui instituto vel sola *Commentatio Historico-Philosophica* suprâ allegata Viri Doctissimi, JO. CHRISTOPHORI WOLFII, materiam & subsidium præstare potuisset amplissimum; ut reliqua subsidia, quæ huc referri possunt, vetera & recentia, nunc taceamus. Sed ultra jam progredi non licet. Nihil igitur nunc superest, quam ut, prout nuper quoque fecimus, observationibus quibusdam miscellaneis hanc Dissertationem nostram absolvamus. 1. Si ullum, hoc certe argumentum specimen esse potest usus rationis in Theologia, recti, ubi bene, corrupti, ubi male judicat, docetque rectum esse, cum Spiritus S. eam dirigit: corruptam, ubi sibi ipsi relicta est. 2. Scripta amœbæa in hoc genere novissima fidelissimum exhibent speculum ingeniorum & animorum nostri temporis, bonorum, malorum, mixtorum. Intueatur hoc speculum, cui hoc facere placuerit, sed oculis puris, simplicibus, lucidis: alias ipsi eveniet, quod dixit Dominus: *Si oculus tuus malus fuerit, totum tuum corpus tenebrosum erit.* 3. Diu multumque meditandum proponimus mysterium summum de nexu Voluntatis divinæ & humanæ, quod quidem exhaustire datum non est: interim patet ex omnibus phænomenis, si hæc relatio inter Deum & homines seponatur, vel sinistre intelligatur, abyssum absurdorum & scandalorum ingenium atque cor humanum obruere, quæ vix amplius impleri & claudi possit. 4. Nolumus quoque negligere, quod ex variis nobis intellexisse videmur exemplis: Esse mysterium quoddam iniquitatis in Ecclesia Romana Philosophiæ titulo velatum. Scilicet quia Theologia ibi circumscriptissima & limitatissima est, ingeniis excitatis & liberis aliquid indulgetur specie Philosophiæ, etsi quoad rem ipsam eodem omnia recidunt. Apud ipsos quoque Protestantes simile quid passim accidit: hoc tamen cum discrimine, quod Philosophi Romanæ Ecclesiæ, cum ad mala confectaria Theologica perveniunt, subsistunt, & conclusionem, idque serio

ferio graviterque, ut plurimum negare non verentur: illi vero procliviores sunt ad conclusiones cum præmissis, qualescunque sint, agnoscendas, si opus fuerit, & occasio faveat, nec aliter succedat negotium. Plura de argumento fecundissimo nostrisque temporibus convenientissimo monere non licet. 5. Discimus quoque, si doctrina de Deo vitietur per conceptus falsos, impuros, partiales, male coherentes, (quod quidem principalem errorem constituit in toto errorum Theologicorum Systemate) hoc vitium late grassari, & per omnes alias doctrinas sentiri. Hinc doctrina de Deo tanquam pupilla oculi custodienda est ab iis, qui religionem amant. 6. Sequitur porro ex hætenus dictis, fatum & fortunam scopulos esse doctrinæ de Providentia Dei præcipuos, utrumque vero nostra ætate iis coloribus depingi, ut vix acutissimi sciant amplius, quid fatum sit? quid fortuna? nesciantque multi, se fatum statuere, se fortunæ patrocinari, licet & hoc & illud sit verissimum. 7. Exemplum illustrissimum præbent disputationes Petti Bælii, (qui hic pariter & mendacium & veritatem derisit, & utrique pro genio suo insatiabiliter Sceptico convicium fecit) & adversariorum ejus de origine mali, quantum interfit Dei & gravissimæ veritatis causa hanc ipsam solide tenere, religiose defendere, ab accessionibus denique incertis & falsis puram pro virili parte servare.



130 B.5

1118

